


LOGICÆ
SYSTEMA

CONTINENS NECESSARIA
præcepta fere omnia: tam tyronibus
quàm doctioribus in quocunq; disciplinarum & disputa-
tionum genere versantibus accommodatum: & exem-
plis plurimis Theologicis ac Philoso-
phicis illustratum.

In usum seminarii Rigensis con-
scriptum & collectum

Sum
à H. Samsonij.

M. HERMANNO SAMSONIO
Pastore & Inspectore scholæ.



Cum Gratia & Priv. Reg. Majest. Poloniæ.

RIGÆ LIVONVM.

Excudebat Nicolaus Mollinus.

Anno M. DC. XX. 1620

In. No. 62371.

C. H. V.
Samson
17162

284
Magnificis, Amplissimis, &
Consultissimis viris.

Dn. HENRICO AB VLENBROCK
Burgravio regio, & Consuli.

Dn. NICOLAO EKE Proconsuli
& Seniori Curiaë Rigenfis.

Dn. IOHANNI VLRICO
Syndico.

Dn. THOMÆ RAMO
Senatori.

Scholarchis &

Dominus meis reverenter colendis

M. HERMANNUS SAMSONIUS
salutem plurimam dico

BIBLIOTHEK

der GESELLSCHAFT für

GESCH. u. ALTERTUMSK.

RIGA

Logicam insigne D^ei donum
esse, & ab affluentissimo bonorum omnium
fonte promanasse, mecum facile fatebuntur
ii, qui cerebrum non in calcaneo, sed in ca-
pite habent. Hæc una disciplinas prima formavit, hæc
partes abditas latentesq; protraxit, easq; suo loco tanquam
in certo lumine collocavit: Hæc scientias munivit, easq;
ordine & methodo haud secus atq; Orci galea tectas ab
imperatorum ac sophistarum jaculis defendit: hæc deniq;
ad veri disquisitionem magnum affert momentum, atq; ar-
bitra omnium controversiarum æquissima, iudexq; recti
existit: non minus quam olim pictoribus regula quædam,
artis fuit Polyclæti canon: ac tanto quidem existit perfe-
ctior, quanto præclara animi monumenta artificiosis pi-
ctorum lineamentis perfectiora sunt.

Agnovit id Plato vir edecumata virtutis & scientiæ,
ideoq; in Philebo testatur, Logicam egregium D^eido-
num esse, & immenso beneficio hominibus conces-
sum. Idem Poëte ingeniosissimo fabulæ alicujus integu-
mento adumbrare voluerunt, fingentes Promethea lucidif-
simum quendam igniculum Vulcano & Minerva furtim
abstulisse, & ad humanum genus transfuisse. Quid aliud
lucidissimus iste igniculus, nisi Logicæ lumen, mentes no-
stras fatali caligine mersas collustrans! Itaq; ad hoc do-
num amplectendum ipsa nos ducit natura, supremi Numi-
nis reverentia exsuscitat, sapientum virorum iudicium in-
struit.

Quanta vero sit hujus instrumenti necessitas, non

tam meus quam Dn. Melanthonis viri iudicioſſimi verbis explicabo. Sic autem tomo tertio declamationum Oratione de Aristotele tradit. Conſtare, inquit, arbitror inter omnes, maximè nobis opus eſſe in Eccleſia Dialectica, quæ methodos rectè informat, quæ dextrè definit, iuſte partitur, antè connectit, dijudicat, divellit monſtroſas connexiones. Hanc artem qui non norunt, lacerant materias explicandas, ut catelli panniculos, libet enim uti Platonis ſimilitudine. Verè eam Plato laudibus effert, inquiens, igniculum eſſe, quem Prometheus è cælo abſtulit, ut in mentibus hominum lumen accenderet ad rectè iudicandum. Hactenus Melanthon.

Certè Logica plurimum conſert iis, qui vel Eccleſiæ cathedræ premere, vel Reipub: clavum tenere, vel pace belloq; civitatis negotia obire atq; exſequi cupiunt. Logica enim ſubſidio deſtitutos in Eccleſia DEI, prodigioſè iudicare, neſcio quas chimeras atq; hippocentauros ſingere, neq; res obſcuras definiendo explicare, nec ambiguas diſtinguere, nec totum in partes ſuas diſtribuire, nec ordinem ullum aut conſequentiam rectè intelligere, oportet. Imò nihil ſolui nec ipſi diſcere, neq; alios docere poterunt, juſq; deq; incertis certa, vera falſis miſceant, neceſſe eſt.

Et quomodo quæſo in Reipub. negotiis verſans modò Principi, modò Senatui, modò populo fidè faciet, niſi accuratum rationum ſuarum delectum inſtituat, ſuaſq; copias ita in aciem educat, ut cuiusvis antagoniſtæ & contradi-centis impreſſionem & remiſſentiam ſuſtinere poſſint?

Deniq;

Deniq; utilitas Logicæ eſt tanta, quanta verbis explicari, & enarrando commemorari vix poteſt. Intellexerunt eam non ſolum Patres Eccleſiæ, Spiritus ſancti lumine illuſtrati, ſed etiam Philoſophi quicq; acutiſſimi, atq; Theologi.

Sic enim Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. Diſputationis, inquit, diſciplina ad omnia genera quaſtionum, quæ in literis ſacris ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimum valet. Auguſtino album, quod ajunt, calculum adjicit Hieronymus in Ezechielem, ubi ſic ſcribit: Verè quicquid in ſeculo perverſorum dogmatum eſt, quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc dialecticâ arte tubvertitur, & inſtar incendii in cineres favillaſq; diſſolvitur, ut probetur eſſe nihili, quod putabatur eſſe fortiffimum.

Plato lib. 7. de Repub. ait: Logica humanos oculos in cænum barbaricum in ſoſſos lenſim atcoilit & abſtergit, ut propius aſpicere, & ordine conſiderare res poſſimus, procedere à ſignis ad cauſas, & diſcernere ea, quæ offeruntur ſenſibus conſuſa, & rectè contexere argumenta, & non coherentia ruruſ diſvellere. Ab hac ſententia eloquentiæ Romanæ princeps Cicero non diſcedit, quando in 5. Tuſcul. ſic aſſeverat: Logica per omnes partes ſapientia manat & diſfunditur, rem definit, genera diſpartit, ſequentia adjungit, perfecta concludit, vera & falſa dijudicat: Diſſerendi ratio & ſcientia, ex qua cum ſumma uti-

(:) 5

litas

litas existit ad res ponderandas : tum maximè ingenua delectatio & digna sapientia.

Eandem Logicæ utilitatem viri nostro ævo dignitate & eruditione famigerabiles ad animum revocarunt. Sic enim Melanthon in præfatione Erotæ: Dial: Hoc & adhortor, ait, & propter gloriam Dei, ac propter Ecclesiæ salutem obtestor, ne dialecticæ negligant, nec applaudant in suis sermonibus eorum, qui vituperant eam, & Ecclesiæ inutilem esse clamitant. Hanc affimo non modò in foro & in iudiciis, aut in Philosophia, sed etiam in Ecclesia valde utilem esse. Iohannes deniq; Sturmius Academiæ Argentinensis gloria in Epistolis classicis scribit: Sapientiæ instrumentum discipulis tuis in manus trades, & quibus illud ex rebus confectum sit ostendes, & quomodo uti debeant, indicabis. De Dialectica loquor, quam nemo sapiens unquam neglexit. Sine qua nihil præclarum & sempiternum, & quod genium habeat, confici potest literarum monumentum.

Quum igitur attestantibus tot locupletibus & fide dignis viris Logica & necessaria atq; utilis sit, ideo omne meum studium tum in Academiis tum in seminario nostro patrio illi dicavi & consecravi: & quantum quidem divina secundante gratia à me fieri potuit, instrumentum hoc juventuti nostræ scholasticæ diligenter inculcavi. Cujus rei vel ipsum etiam Rhadamantum atq; Minoas iudices ferre possem.

Quam ad rem suo me etiam exemplo incitarunt, Turæ consulti celeberrimi, qui non tantum ex præscripto legum

Logi-

Logicarum jus dextrè & feliciter explicarunt, veluti Mattheus Vvesenbecius, & Iulius Pacius: sed etiam Logicam juridicam publici juris facere voluerunt, inter quos Franciscus Hotomannus & alii.

Dum vero juventus nostra scholastica omnia mea, etiam minutissima consecratur, animadverti, quædam hiulcè, distortè atq; enormiter excipi, eoque modo passim circumferri. Ut igitur & meo nomini & publico consulerem, & occasionem præciderem mutilandi, & discentes veræ sapientiæ amore inflammatos scribendi molestia sublevarem: ideo vagantes palantesq; opellas nostras ordine sub signa sua revocare, præloq; subjicere volui.

Sic autem aliorum auctorum vestigiis insistendum mihi putavi, non quidem, ut nihil aliud, nisi quod apud eos invenissem, sed certè ut innumera inde sumpta in Logicam meam comportarem: ac veluti ex eorum uberissimis purissimisque fontibus rivulos quaqua versum ducerem, quibus prætulæ mea irrigarem, & flores multiplices ac frave o-lentes ex illis viridariis carperem, quibus hortulos meos consererem.

Vobis vero Magnifici atq; Amplissimi Dn. Scholarchæ Logicam hanc jam diu desponsam offero, meritorum vestrorum magnitudine compulsus, quibus tanquam summi munerarii non solum scholam nostram publicè, sed etiam me priva-

Simil.

privatum ornastis. Cumq; memoris &
grati mei animi condigna tanta vestra
humanitate atq; liberalitate specimina
atq; documenta, quæ reponam, pro hoc
rerum mearum tenuitate non habeam:
repono illa, quæ possunt, nimirum mei-
psum, meumq; adeo animum, quem ve-
stro merito vobis devinxistis, ejusq; te-
stem luculentissimum hanc meam qua-
lem qualem Logicam. Accipite igitur,
quicquid est opella, fronte serena, & si-
cuti jam pridem facitis, Seminarium no-
strum universum, meq; ejus Inspecto-
rem omni benevolentia comprehendere
ne cessetis. *Diu valete in Domino*
Dabam Rigæ Anno M. DC. XX.
die 28. Martii.

Vestra Magnificæ atq; Am-
plitud.

Servitor.

SUPER

SUPER LOGICA REVE-
rendi Clarissimique viri Dn. M.
HERMANNI SAMSONII &c.

Nunc animo verè, dicam, quæ cernere possum,
SAMSONI fortis, fortis Amice DEI.
Nonne fatigaris, confectus mole laborum
Magnâ, cum Logicum jam mediteris opus?
Efficit hoc summi celi terræq; parentis, *Deus.*
Tàm patriæ splendor, quàm renovatus amor.
Esse putant magnos, qui possunt magna docere,
Est aliquid, fateor; sed, satis esse, nego.
Quid? nil esse reor, vero fundamine nitens,
opdotu hœc qui nescit *επιστολικον.*
Quin si de cœlo veniat, nil tale ferentem,
Hunc cane pejus habe, hunc pejus & angue fuge.
Lumine si claro verum vis cernere, junges
Cum sophiæ studium, tum pietatis opus.
Cum tentes hoc, SAMSONI, clarissime mystes,
Posteritas laudes & benefacta canet.
Fama manet terris, dum volvit sidera cælum,
Munera magna capis, dum DEVS ipse dabit.

Singularis benevolentia
& amicitia ergo con-
gratularatur.

M. AGGÆUS FRIDERICI,
Scholæ Rig. Rector.

AD

AD REVERENDVM (CLA-
rissimum virum Dn. M. HERMAN-
NUM SAMSONIUM Logicam suam juris
publici facientem.

Philo.
Soph.

Almae Sophiae interpres, o & aurea
Svadae medulla coelica,
Musageta, ocellis, corq; Phrontisterii,
Qua RIGA civitatum
Pyropus ille Sole sub Livonico
Oscarulum Dunaidos
Sociare gaudet Balthicâ cum Tethye,
Praecone maestem quid tuam
Versu Minervam? quae suis sat dotibus
Contenta, non fuci indiga,
Magni Stagiritæ æmula, immò filia,
Ars differendi, prævia
Rationis Helice, Phosphorus Methodi, & gravis
Sophismatum adversaria
Per se placebit, se probabit posteris
Vim commodorum ob uberem,
Quis nunc & olim literarios potest
Passim beare pulveres.
Quin autor ipse jam per ora sic volas
Felicis ingenii alite,
Vt, qui sequacem laureæ SAMSONIDI
Hederam labore addere,
Pol frontis expers nubila in Phœbo jubar.
Existimetur spargere.
ARNOLDVS CVPERVS Contr. scholæ.

AD REVERENDVM ET
Clarissimum Virum, Dn. M. HER-
MANNUM SAMSONIUM, Ecclesiæ Pastorem
primarium, & Scholæ Inspectorum in-
dustrium apud inclitos
Rigenles.

Quantum Gymnasis Artis Systemata profint,
Nôrunt, qui nôrunt, quid sint Systemata; quid sit;
Multum adolescenti verum non multa legendum.
Multis glossarum diffusa licentia cordi est,
Sed non proficua est diffusa licentia multis.
Vobis glossarum, Pubes Academica, moles
Congrua, Gymnasis Systemata jure probantur.
Hæc eadem Tibi mens, patriæ mera gloria Rige,
Clara saluiferi tuba Numinis, o SAMSONI!
Hæc eadem Systema tuis popularibus Artis
Concinnare jubet Logicæ, benè cedat Alumnis
Quod benè concinnas Systema Rigenstibus! immò,
Quod benè concinnas Systema, id Orædidi nostræ
Non soli proficit, capiant hinc commoda plures!

ita benè ominabatur

Martinus Hesperus Subcon-
rector Rigenlis S.

AD

AD REVERENDUM AC

Clarissimum Dn. Au-

tozem.

NVllus Palladiæ color est moneræ
Septis avaris abditæ
Distentæ cephalæ, nili commodato
Splendescat usu, SAMSONI!
Pröin charismâ locas tibi foeneratum
In lucis auras; gnaturis
Nunc vulgare sacrum sophos & profanum
Styloquæ & ore Dædalo;
Nunc diæ Logicen Sophiæ minitram.
Agnosce PUBES commodum;
Dehinc perfructa catas reverenter artes,
Ethic DEOS dic, VIDIMUS!

Johannes Gamper

Collega Scholæ.

PROLE-

PROLEGOMENA
LOGICES,

Quæ est Definitio Nominis?

Logica dicta est ἀπὸ τῆς λόγος h. e. ra-
tione, non sermone: quippe Logica
ratiocinandi non sermocinandi ars est.

Quæ est Definitio Rei?

Logica est habitus organicus à Phi-
losophis in Philosophia genitus, qui se-
cundas notiones ex primis efficit, ut sint
instrumenta, quibus verum à falso di-
scernatur.

Quæ est Causa Efficiens Logicæ?

Causa Efficiens Logica est Philoso-
phorum scientia. Illi enim ex omnibus Philo-
sophiæ partibus tale instrumentum nobis pepererunt,
quod serviat non solum omnibus artibus, sed etiam facul-
tatibus.

A

Quæ

Quæ est Materia (circaquam) Logices?

Materia sive subjectum Logices sunt omnes res in mundo, quatenus nimirum illa notionum secundarum sunt capaces h. e. quatenus vel Genus, vel Species, vel Definitio & c. iis imponi potest, ut nostræ cogitationes de rebus per huius divine artis præcepta dirigantur: ne inter cogitandum incerta pro certis, falsa pro veris, confusa denique pro ordinatis animus apprehendas.

Quæ est Forma Logicæ?

Forma Logices est ipse ordo præceptorum, congruens ad actiones humanæ mentis, quales sunt simplicium apprehensio, compositio, & divisio.

Quis est finis Logices?

Finis Logices est duplex: alius est internus, nempe fabricatio Syllogismi.

Ad Syllogismum enim tanquam ad opus & finem referuntur omnes termini simplices, omnes propositiones, perinde ut in Grammatica omnes voces, omnia nomina & verba ad Syntaxin & compositionem diriguntur. Exter-

nus

3.
nus est discernere verum à falso, sive ipsa veritas, quam assequimur dextere rem explicando, firmiter probando, & methodicè disponendo.

Quæ est Logicæ Divisio?

Commodissimè Logica dividitur in Formalem & Materialem. Formalis constat. 1. Explicatione terminorum simplicium. 2. Compositione & propositionum informatione. 3. Syllogismi structura secundum Figuram & Modum. Materialis verò constat similiter tribus membris: 1. Doctrinâ Syllogismi Demonstrativi. 2. Syllogismi Topici. 3. Doctrinâ Sophisticorum, Elenchorum sive Fallaciarum. Hec de Prolegomenis.

LIBER PRIMVS.

De Terminis Simplicibus.

A 2

Quid

Quid judicas de Terminis Simplicibus?

Sicut Grammatici suos habent Terminos, nempe Genus Masculinum, Fœmininum, &c. Item Numerum Singularem, Pluralem: Declinationem, Conjugationem, &c. Ita quoque Logicus suos habet Terminos, nempe Genus, Speciem, Individuum, Prædicamentum, Definitionem, Divisionem, &c. Hoc verò discrimen est interjectum inter terminos Grammaticos & Logicos, quod Grammatici termini nuda tantum sint vocabula *τεχνικά*: Logici verò termini significant imaginem quandam formatam in ejus mente & cogitationibus, qui Logicam discit aut docet. Sic Genus est imago Logica in mente hominis, cuius picturæ beneficio mens intelligit naturam multis communem homini & bestiiis. KECKERMANNS tali simili rem declarat: Sutor rectè calceum confuturus, applicat corium crepidæ sive modulo, quo tanquam instrumento artis proprio ejus & animus & manus juvatur incalceo artificiosè confluendo: ita mens seu ratio humana format sibi modulos Logicos i. e. terminos & imagines Generis, Causæ, Definitionis, Divisionis, &c. Et quoties rem aliquam dextrè vult intelligere, toties cogitationem de re illa instituendâ applicat ad istos modulos Logicos, & attendit diligenter, utrum ad eos congruat, nec ne.

Quid

Similitudo
Kec.
Kerman-
ni dicitur
termini
nis.

Quid vocas Terminum Simplem?

Terminus Simplex est Logica notio sive instrumentum, quo unum quid Simplex menti representatur, & Simplex rei thema explicatur.

Quotuplex est terminus Simplex?

Duplex: vel est vocis, vel rei. Terminus vocis est, qua appellatio & denominatio rei consideratur.

Quæ sunt Divisiones Vocis?

1. *Alia vox est primæ intentionis; alia secundæ intentionis.*

Vox primæ intentionis est, qua aliquid extra animū significat, & fundamentum habet in rerū natura. V. G.

Omnes res in mundo dicuntur voces primæ intentionis: Ratio autem nominis est, quia homines primò intendunt rebus nomina imponere.

Vox secundæ intentionis est, qua in

A 3

arti

artibus consideratur. V. G. in Grammaticis
Nomen, Pronomen, Verbum, Casus, Declinatio Conjugatio. In Logicis Genus, Species, Individuum, Prædicabilia, Prædicamenta.

2. *Alia vox est abstracta, alia Concreta.*

Abstracta est, qua nudam formam sine suo subjecto notat: ut albedo, humanitas, animalitas.

Concreta est, qua formam cum subjecto infert: ut, albus, justus, fuscus.

3. *Alia vox est Distincta, alia Ambigua seu homonyma.*

Distincta est, qua rem unius naturæ distinctè significat: ut, ignis, aer, aqua, terra.

Ambigua est, qua res naturæ diversas indistinctè & confuse significat. Est autem vox ambigua vel ex casu, vel consilio.

Ambigua ex casu vox est, cum ratio nulla dari potest, cur rebus naturæ diver-

diversissimis unum idemque nomen sit tributum. V. G. Si quis me roget, cur avis quædam domestica & homo communi nomine Gallus vocetur, rationem nullam dare possum, nisi quod ita visum sit primis nominum impositoribus; Sic cum nomen fucus significat simul animal insectum & cerussam, quæ facies pingi solet.

Ambigua vox ex consilio est, cum nomen commune rebus diversis certâ ratione & consilio est inditum: ut, pes animalis, pes lecti, & pes carminis.

DE ALTERO TERMINO Logico nempe re sive termino rei.

Quo ordine hanc doctrinam expedics?

Tria hic proponemus: 1. Agemus in genere de doctrina Prædicamentorum. 2. Considerabimus gradus Prædicamentorum, nempe Univerſalia sive Prædicabilia. 3. Tractabimus ipsa in specie Prædicamenta, ut & reliquos terminos ortos.

Quis est usus Prædicamentorum?

Usus Prædicamentorum duplex est:

I. Principalis, ut mens nostra hoc instrumento Logico adjuncta, inveniatur cuiusque rei legitimum Genus, & ex genere Differentiam, ex Genere denique & Differentia ipsam Definitionem. Sicut enim Geographi totius terræ situm & oceani ambitum in tabulis artificiose pingunt: ita sapiens antiquitas totam rerum universitatem in decem tabellis Prædicamentalibus spectandam proposuit, ut quasi fines & metas naturæ contemplantes acquiescamus.

2. Minus principalis est, unde & nomen acceperunt, nimirum, ut in Prædicationibus iudicare possis, qui termini apti sint ad subiiciendum, qui vero ad prædicandum. V. G. cum dico Temperantia est virtus, ex doctrina Prædicamentorum iudico virtutem recte prædicari de Temperantia. Notabis autem Prædicamenta non esse res ipsas in mundo, sed tantum tabellas generalissimas res adumbrantes. Sicut enim pyxides & narthecia, in quibus cinnamomum aut piper reconditur, non sunt cinnamomum aut piper: ita prædicamenta non sunt res ipse. Neque enim res in Logica nascuntur, sed modus & forma explicandi res traditur in Logica.

Quotuplex est modus quo res in ordinem prædicamentorum recipiuntur.

Quin-

Quintuplex: 1. Directus & primarius. 2. Analogus. 3. Collateralis: 4. Indirectus. 5. Per accidens.

Quæ res sunt directè in Prædicamentis?

Sunt sequentes: 1. Ens reale ac positivum: ut, homo animal, bos &c. 2. Ens universale: ut, animal Genus, homo Species, quo excluduntur Individua sive singularia. 3. Ens totum & completum, quo excluduntur partes: ut, caput, manus, pes. 4. Ens denique distincta ac certa voce significatum: quo excluduntur voces ambigua: ut, lupus, cancer, canis, &c.

Quænam analogicè referuntur ad Prædicamenta?

Deus opt. max. & eius proprietates. Directè enim Deus ad Prædicamenta referri nequit, quia est Ens simplicissimum, neque habet vel Genus, vel ul-

A 5

lam

am differentiam, per quam ad certam speciem determinetur.

Quæ Entia collateraliter referuntur ad Prædicamenta?

Differentia Specifica collateraliter referuntur ad Prædicamenta.

Quæ Entia reductivè referuntur ad Prædicamenta?

Entia concreta, aggregativa, & collectiva, item partes totius, V. G. gustus, exercitus, Resp. mundus, cohors, manus, pes: &c.

Quæ deniquè Entia per accidens referuntur ad Prædicamenta?

Per accidens ad Prædicamenta pertinent:

1. Entia complexa: ut homo est animal: quod enim est complexum, non est directè & per se in certo Prædicamento, sed per accidens hoc est ratione terminorum.

2. Privationes: ut cæcitas. Revocantur enim privationes ad prædicamenta, in quibus sunt illarum

rum

rum habitus. Cæcitas ergo est in eo Prædicamento, in quo est visus.

3. Entia intentionalia extra mentē.
ut, colores in speculis.

Quænam planè à prædicamentis excluduntur.

1. Excluduntur ambigua sive equivoca. Nullum enim equivocum vocabulum potest vel constitui in ullo Prædicamento: vel definitione definirī: vel divisione dividi, sed tantum debet distingui.

2. Non Entia. V. G. aureus mundus, aureus homo, Purgatorium Papisticum, cælum empiræum sive cristallinum Calvinianorum. Hæcenus de Prædicamentis in genere.

DE GRADIBVS PRÆDICAMENTORUM sive vniuersalibus, aut ut vulgo dicuntur prædicabilibus.

Quotuplex est scopus Prædicabilium?

Prima-

12.
1.
2.
3.

Primarius scopus Prædicabilium est ut discernant gradus rerum in serie cuiusque Prædicamenti, atque adeo monstrant, quod sit summum, quod infimum, quod intermedium.

Alter usus est, quod Prædicabilia profint ad concinnandas definitiones. Nam omnis Definitio perfecta & essentialis constat ex Genere & Differentia.

Tertius usus est, ut monstrant, quid in Propositionibus subjiciatur, quid de altero prædicetur, & quomodo inter prædicandum subjectum cum prædicato cohzreat. Et ab hoc tertio usu (licet improprie & angustè) vocantur Prædicabilia. Itaque commodius dicuntur vel Gradus aut distinctiones Prædicamentorum, vel uniuersalia.

Quot ergo sunt Prædicabilia?

Sunt quinque: 1. Genus. 2. Species. 3. Differentia. 4. Accidens proprium. & 5. Accidens commune.

DE GENERE.

Quid est Genus.

Genus est notio secunda simplex, denotans rem specie directe & immediate superiorem, & est de pluribus specie
diffe-

differentibus in questione quid prædicabile.

Quænam sunt requisita ad naturam veri Generis intelligendam?

Tria: 1. Superioritas. 2. Communitas. 3. Prædicabilitas.

Quid est Generis superioritas?

Quod Genus connotet rem specie superiorem & naturam priorem, ac speciem infra se collocet.

Quid est Generis Communitas?

Communitas Generis est ista, quod communem suam naturam omnibus speciebus sub se contentis ex æquo communitet. V. G. Animal Genus est & communem suam naturam, hoc est animalitatem omnibus suis speciebus, nempe homini, bovi, leoni &c. communicat. Si enim quæras quid sit homo, bos, leo, rectè respondes est animal.

Quæ est Generis Prædicabilitas?

Mo-

Modus Pradicandi Generis est
Quidditativus. Pradicatur enim Ge-
 nus de pluribus specie differentibus in
 questione Quid est? ut cum queritur. Quid
 est homo? Resp. Est animal.

Quae sunt Divisiones Generis?

1. Aliud Genus est Summum & Ge-
neralissimum, aliud Subalternum,

Genus summum est, quod nihil su-
pra se habet, & tantum Genus est, nun-
quam Specios. V. G. Substantia, aut Ens.

Genus Subalternum est, quod ita est
Genus inferiorum, ut simul sit Species
superiorum. V. G. Avis est Genus Cantheri-
 dis, alaudae, luscinae, &c. Species vero animalis.

2. Genus est mediatum seu remotum,
vel immediatum seu proximum.

Mediatum sive remotum Genus est,
quod a specie propter interuentia a-
lia longius est determinatum: quo sensu
 substantia remotum Genus hominis dici potest.

Immes.

Immediatum sive proximum est,
quod proxime sub se habet speciem. Tale
 Genus est animal respectu hominis.

3. Aliud Genus est univocum, aliud
analogum, aliud aequivocum.

Univocum Genus est, quod natu-
ram suam speciebus subjectis equaliter
communicat non secundum magis &
minus: Sic virtus est uniuoca Genus Iusticie & Tem-
 perantie, quia non minus Iustitia quam Temperantia
 virtus est.

Analogum Genus est, quod non a-
quali participatione speciebus suam es-
sentiam communicat, sed magis alteri,
& minus alteri: Tale analogum Genus est Ens,
 quod magis tribuit substantiae, quam accidenti.

Aequivocum Genus est, cuius es-
sentia uni tantum speciei communi-
catur: reliquis vero prater nudum nomen
 nihil. Tale equivocum Genus est animal cum dici-
 tur de homine vero & picto. Homini vero communicat
 essentiam & nomen: Homini vero picto communicat nu-
 dum nomen.

Qui

Qui sunt Canones notandi ?

1. Genus & Species Generi subiecta sunt in uno & eodem predicamento non diversis.

2. Genus est nunquam sua Speciei, vel subiectum, vel causa, vel accidens.

Idcirco non in Quale, sed in Quid predicatur: E. male faciunt illi, qui loco Generis in Definitione ponunt, vel Subjecta V. G. Temperantia est voluntas constans abstinendi ab illicita Venere, vel potu & cibo. Vel causam; ut, homo est Dei creatura: vel Accidens, ut, homo est doctum animal. Hec de Genere.

DE SPECIE.

Quid est Species ?

Species est notio secunda notans perfectam & Genere proximè inferiorem Entis naturam, immediate de pluribus numero duntaxat differentibus predicabilem.

Quænam sunt requisita ad naturam veræ Speciei intelligendam ?

Triâ :

Triâ : 1. Superioritas. 2. Communitas. 3. Prædicabilitas.

Quæ est Speciei Superioritas ?

Superioritas Speciei consistit in eo, quod Speciei Individua subiaceant, sicut illa Generi subjacet.

Quæ est Speciei Communitas ?

Diligenter notandum, quæ in re Communitas Speciei & Generis differat. Genus enim commune est multis Speciebus, quæ Specie, formâ & Essentiâ discriminantur. Species verò communis est multis rebus non naturâ, essentiâ ac formâ differentibus, sed tantum numero & principiis Individuantibus.

Quæ est Speciei Prædicabilitas ?

Speciei Prædicabilitas est quiddam attributum sic.

B

va sicut.

va sicut \odot **Generis**: Si enim queris, quid est Petrus, Paulus &c: rectè respondes, est homo.

Quomodo mens humana modò Genus modò Speciem abstrahit?

*Simi-
li.*

Scias mentem nostram esse quasi pictorem: cogitationes verò mentis sunt picturæ. Quando enim mens humana communem quandam naturam fingit, quæ multis rebus natura & essentia diversissimis tribui potest: tunc communis illa natura Genus est. Quando autem mens humana communem quandam fingit naturam, quæ multis rebus tantum numero differentibus, non natura, non essentia, competit: Tunc illa communis natura dicitur Species. Genus potest comparari amplissimo regno, quod complectitur diversarum gentium & Linguarum homines, ut regnum Polonicum complectitur Poloniam, Litvaniam, Borussia, Livoniam, & alias provincias, in quibus differunt homines linguis, ingeniis, corporibus, & moribus. Species verò est similis civitati benè moratæ, quæ optimis legibus regitur, & in qua est magna similitudo corporum, ingeniõrum & morum.

Quæ sunt Speciei Divisiones?

Alia Species est subalterna, alia Specialissima: Subalterna Species est, qua

qua sic est Species Superiori, ut simul sit Genus inferioris: Sic avis est Species animalis, & simul est Genus Pavonis, Galli, cantheridis, &c.

Specialissima est, qua tantum est Species: ut, homo, bos, leo.

Qui sunt Canones notandi?

1. *Sicut Genus est prius naturâ & cogitatione distincta suis Speciebus: Sic quoque Species est posterior suo Genere, natura & definitione. Oritur enim Species ex Generis determinatione & coactione.*

2. *Species in uno Individuo conservari potest, quia tota Speciei ratio ab uno Individuo comprehendi potest. Sic unus tantum est Sol existentiæ Individuali: & tamen tota forma Solis ab uno illo Individuo comprehensa est.*

Da Exempla Generis & Speciei.

Metallum est Genus, cujus Species sunt, aurum, argentum, ferrum.

Sensus est Genus, cujus Species sunt, Visus, auditus, tractus, gustus, obfactus.

Gemma est Genus, cuius Species sunt, Smaragdus, Rubinus, Topazius.

Morbus Genus est, cuius Species sunt, Paralyſis, Epileptia, febris.

Peccatum Genus est, cuius Species sunt, Originale & Actuale.

Hæc de Specie.

Arboris, cuius sunt, & flos, albedo, rubro, candido, fragilla.

DE INDIVIDVO.

Qua ratione agimus hic de Individuo?

Non hic agimus de Individuis, tanquam uno ex Pradicabilibus, sed quatenus sunt bases ac statumina, qua Generi ac Speciei substernuntur.

Quæ ergo est Definitio Individuorum?

Individuum est notio secunda rem perfectam sub Specie infima ac Specialissima comprehensam denotans.

Quotuplicia sunt Individua?

Tripli-

Triplicia: *Alia sunt Simplicia uno nomine rem notantia:* ut, Petrus, Paulus, Iohannes.

2. Alia particula Demonstrativa rem ostendunt: ut, hic homo, hæc cathedra, hoc scammum.

3. Alia circuitione & periphrastica descriptione rem denotant; ut Filius Dei & Maria id est Christus. Tharsensis Apostolus id est Paulus. Princeps Poëtarum Græcorum hoc est Homerus.

Estne alia Divisio Individuorum?

Est: Nam Individuum aliud est substantiale, aliud accidentale.

Individuum substantiale est quod per se existit: ut, Petrus, Paulus, Ego, Tu, &c. Huc pertinent flumina Duna, Albis. Vrbes, Riga, Lubeca, Dantiscum. Montes, Atlas, Bruclerus.

Individuum accidentale est, quod alteri subjecto inest, non per se, sed accidentaliter. Tale Individuum est fides Abrahami, Induratio Pharaonis, Eloquentia Ciceronis.

Qui sunt Canones notandi?

1. *Individua habent existentiam: Universalia essentiam.* Notabis Universalia in Singularibus suis existere non ea ratione, qua accidentia existunt, in substantiis. Universalia enim sunt in singularibus tanquam Entia ejusdem naturæ, & non differentia ab illorum essentia: nisi quod natura Universalium sit latior, & indeterminata: singularium vero natura sit contractior & restrictior.

2. *Individua sunt incommunicabilia.* Non enim Individua inferioribus sicuti Genus & Species possunt communicari. Hæc de Individuo.

DE DIFFERENTIA SPECIFICA.

Quid est Specifica Differentia?

Specifica Differentia est notio secunda formalem ac Essentialem Specierum rationem de pluribus in Quale, Quid, predicabilem, denotans.

Quænam sunt Differentiæ Specificæ officia?

Sunt Tria: 1. *Est Divisio & restrictio*

restrictio Generis. Quia enim Generis natura est vaga ac indeterminata & communicabilis omnibus subjectis Speciebus: Ideo necesse est, ut differentia accedat, quæ ipsum Genus, ejusq; indeterminationem ad certam speciem restringat, restringendoque Specificet: atque ab hoc officio Differentia Divisiva seu restrictiva vocatur.

2. *Est Speciei constitutio, unde Differentia constitutiva nuncupatur.* Neq; enim Differentia tantum Genus restringit, sed simul Speciem constituit, & ei esse suum largitur.

3. *Constitutæ Speciei distinctio.* Quia enim quælibet res per id ab aliis distinguitur, per quod constituitur: ita etiam Differentia, quæ Speciem constituit, simul eam ab aliis distinguit. Sic rationale est Differentia Specifica, quæ primo Genus dividit nempe animal: quod aliud animal sit rationale, aliud irrationale. Secundo constituit Speciem, nempe hominem, quia animal rationale nihil aliud est, quam homo. Tertio constitutam Speciem distinguit: per rationale enim animal distinguitur ab irrationali.

Qualis est Differentiæ Specificæ Prædicatio?

Prædicantur Differentiæ Specificæ non purè quidditati: vè seu essentialiter,

Pro-
Seco
differ-
Speci-
ficat.

neq; pure accidentaliter, sed mixtim, i.
e. partim essentialiter, partim acciden-
taliter. Essentialiter quoad ipsam rem,
accidentaliter quoad modum rei. Qua-
duo si conjungas, evadet modus predi-
candi mixtus, nempe in Quale, Quid.

Quo simili declaras Genus, Speciem,
ac Differentiam?

Genus tanquam *Universale* compa-
ratur funiculo longissimo carenti omni
nodo: Differentia assimilatur constri-
ctura seu nodo: *Universale* per Diffe-
rentiam restrictum, sive Species confer-
tur cum funiculo nodis constricto.

Quæ est Divisio Differentiarum?

Alia Differentia sunt subalterna,
alia sunt infima & ultima. Differen-
tia subalterna non omnis generis latitu-
dinem contrahunt, sed tantum aliquam.
Unde

Divi-
sio.

Unde Genus per Differentias Specifi-
cas ulterius est determinabile. Sic vivum
respectu corporis est Differentia subalterna. Potest e-
nim corpus tanquam Genus artius constringi per aliam
Differentiam nempe sentiens.

Differentia verò ultima & Specifi-
ca omnem indeterminationem Generis
auferunt; ut quasi per oppositas Specifi-
cas Differentias non amplius sit divisi-
bile. Talis Differentia Specifica & ultima est ratio-
nale, auferit enim totam Generis naturam.

Qui sunt Canones notandi?

Differentia Specifica non variantur
gradibus, nec intenduntur per se. Sic bos
non magis sentit quam leo. Sic ego non sum magis ratio-
nalis, quam tu. Ratio est hæc: Quia tales Differentie
Speciebus sunt adæquate.

2. *Vnius Generis Differentia sunt
opposita sibi invicem*: Sic animal aliud est ra-
tionale, aliud irrationale. Sic corpus aliud est sentiens,
aliud non sentiens.

3. *Diversorum Generum & non*

mutuò sibi subordinatorum diversa sunt
 Differentia: Subalternorum autem
 Generum possunt eadem esse Differen-
 tia: Sic animal & virtus diversa sunt Genera. E. &
 horum Generum diversa sunt Differentia. Sic animus
 & corpus sunt Genera Subalterna. E. habent eadem Dif-
 ferentias. Hæc de Differentia.

DE ACCIDENTIBVS.

Quotuplex est Accidens?

Duplex: aliud est proprium, aliud
commune.

Quid est Accidens proprium?

Accidens proprium est notio secun-
da notans naturam in iam constituare
ab essentialibus principiis provenien-
tem, illi immutabiliter inherentem, &
de ea etiam accidentaliter in Quale,
verum necessario & reciproce predica-
bilem.

Quot modis dici solet Accidens
 Proprium?

Quæ-

Quatuor modis: 1. Illud dicitur
Proprium, quod uni soli Speciei conve-
nit, nempe homini, sed non omnibus In-
dividuis, i. e. omnibus hominibus: ut esse
 Medicum, esse Mathematicum, esse Poëtam.

2. Dicitur Proprium, quod quidem
omnibus eius Speciei Individuis inest, sed
non soli illi Speciei: ut, esse bipedem, habere di-
 gitos.

3. Dicitur proprium, quod quidem
soli uni Speciei, sed non semper accidit:
 ut, canescere.

4. Dicitur Proprium quod & toti
& soli Speciei & semper inest, & cum
subjecto perfecto recipitur, neq; a
subjecto ullo modo est separabile: ut, esse
 risibilem, esse discipline capace, &c. Et de hoc Pro-
 prio Quarti modi hic agimus, quod etiam solum defini-
 mus. Reliqua tria Propria docendi causa ita proponun-
 tur: sed verè cum accidenti communi (de quo postea age-
 mûs) coincidunt.

Quænam sunt requisita ad naturam
 proprii accidentis in quarto modo rectè in-
 telligendam necessaria?

Sunt

Sunt duo: 1. Propria quarti modi rem, in suo esse, constitutam insequuntur, atq; inde emanant. Sic V. G. posita anima rationali, necesse est ponas eam per rationem esse disciplinae capacem, eam esse risibilem.

2. Propria quarti modi recipiuntur cum subjecto: V. G. Quidquid est homo, id est risibile, & Quicquid est risibile, id est homo.

Quæ est Prædicabilitas Proprii in quarto modo?

Modus prædicandi est accidentalis, sed necessarius, nempe in Quale, non in Quid.

Quis est hic Canon notandus?

Propria quarti modo à subjectis suis non sunt separabilia, quia inherent eis necessario & immutabiliter. Hac de proprio quarti modi.

DE ACCIDENTE COMMUNI.

Quid

Quid est Accidens commune?

Accidens commune est notio secunda affectionem rei per sua principia essentialia constituta superveniens, eiq; contingenter inherens: ut, dives, doctus, formosus.

Quodnam est discrimen inter accidens proprium, & accidens commune?

Est duplex: 1. Proprium accidens inheret subjecto necessario. Accidens verò commune contingenter.

2. Accidens proprium convertibiliter prædicatur de subjecto, Accidens verò commune minimè.

Quotuplicia sunt accidentia communia?

Duplicia: alia sunt Separabilia, alia inseparabilia, Separabilia sunt, quæ facile à subjecto separantur: ut calidum esse ab aqua, frigidum esse à manu.

Inseparabilia sunt, quæ à subjecto vel diffi-

difficiliter vel planè non a velli, cogitatione tamen abstrahi possunt: ut, album esse à nive, nigrum esse à corvo.

Qui sunt hìc Canones notandi?

1. Accidens commune potest esse in duobus subjectis Specie, natura, ac essentia distinctis: ut, nigredo est in Æthiope & corvo; sic albedo inest parieti & homini.

2. Accidentia communia recipiunt magis & minus, & possunt intendi & gradibus variari: Sic hic homo doctior est illo, ut & formosior, opulentior, facundior &c. Hæc de Prædicabilibus.

DE PRÆDICAMENTIS IN SPECIE.

Quid sunt Prædicamenta?

Prædicamenta nihil aliud sunt, quàm coordinatio quadam, seu series illarum rerù, que sunt vel Genus, vel Species, vel Genera summa, vel media, vel infima.

Non

Non enim proprie & per se res in Prædicamentis traduntur, sed rerum tantum tabellæ delineantur. V.G. Prædicamentum Substantiæ velut tabella proponitur in qua series substantiarum ad conficiendas illarum Definitiones animo representatur: ipsa verò Substantiæ generalissima & rudi quadam delineatione pinguntur: Sicut enim is, qui scalam vult construere, ligna quidem suis gradibus concinnat & disponit: interim tamen ligni ipsius accuratam notitiam non querit: Ita etiam Logicus hanc rerum scalam construens non accuratè ipsas res considerat, sed id tantum agit, ut rebus leviter adumbratis, menti suam veluti tabulam construat.

Quot sunt Prædicamenta?

Decem: 1. Substantia. 2. Quantitas. 3. Qualitas. 4. Relatio. 5. Actio. 6. Passio. 7. Quando. 8. Vbi. 9. Situs. 10. Habitus. Murmelius hunc numerum qualicumquè disticho comprehendit:

Arbor, sex, seruos, fervore, refrigerat,
istos,

Ruri, cras, stabo, nec tunicatus ero,

DE SUBSTANTIA.

Quid est Substantia?

Sub-

Defini-
tio.

Substantia est Ens, quod per se subsistit, & suis subsistat accidentibus: ut homo, Leo, ferrum, lapis, Petrus, Paulus, &c. He enim res per se existunt, nec aliis rebus tanquam sustentaculis & fulcris inhaerent: aliae vero res inhaerent ipsis tanquam accidentia. V. G. Homini inhaeret ratio, voluntas, leoni robur, ferro frigiditas, terrae siccitas.

Quotuplices sunt Substantiae?

Duplices: aliae sunt primae, aliae secundae.

Primae Substantiae sunt res Singulares: ut, Petrus, Paulus, hic homo.

Substantiae secundae sunt res universales, i. e. Genera & Species: ut homo, animal, corpus.

Qui sunt Canones seu Proprietates Substantiae?

1. Nulla Substantia per se videtur, sed per sua accidentia. sicut enim corpora nostra teguntur veste, ne hominum oculis nuda conspiciantur: Sic non cernimus nudam substantiam parietis aut arboris, aut alterius cuiusdam rei, sed accidentia, colores, magnitudinem, & figuram foris aspiciamus.

Simil.

2. Sub-

2. Substantia non recipit magis nec minus. V. G. Abrahamus non fuit magis homo in senectute, quam infantia. Sic Goliath non fuit magis homo quam David. Major quidem fuit ratione Quantitatis, sed magis non fuit homo. Dist. intr. magis & magis.

3. Substantia una alteri per se & sua natura non contrariatur: sed per accidens ratione dissimilis temperamentis & qualitatum pugnantium: V. G. Lupus ovi, ignis aquae, Diabolus Deo, propter diversas qualitates contrariantur.

4. Vna & eadem numero substantia contrariorum est capax, sed successive: V. G. Aqua & calorem & frigus suscipere potest.

DE QUANTO.

Quid est quantitas?

Quantitas est qua Subjectum denominatur quantum, i. e. magnum vel parvum.

Quotuplex est Quantitas?

Duplex: alia est continua seu magnitudo,

C

gnitudo, alia discreta seu multitudo & numerus.

Quid est Quantitas continua?

Quantitas continua seu Magnitudo est, per quam substantia dicitur Longa, Lata, & profunda. Tot enim sunt Species Magnitudinis.

Est autem Longitudo ubi spectatur terminus communis, quo partes coherent. ut Linea.

Sic Superficies est latitudo & longitudo Spectata sine profunditate. Illi enim qui agros metiuntur, tantum superficiem campi metiuntur, non profunditatem.

Corpus autem & longitudinem, & latitudinem & profunditatem in se complectitur.

Quid est Quantitas discreta sive Numerus?

Quantitas discreta seu Numerus est,

Commu-
tudo.

Substan-
tia.

Corpo-

Discre-
ta.

est, cujus partes nullo communi termino copulantur: ut sunt Numerus & Oratio.

Quanam vocabula referuntur ad hoc Prædicamentum?

Ad Longitudinem referitur tempus, linea, & omnia illa quæcunq; longa cogitantur.

Ad Latitudinem sive superficiem referitur Locus, vinea, pratium, hortus, campus,

Ad Corpus referitur amphora, cantharus, tonna &c.

Ad Numerum referitur cohors, exercitus, acervus.

Ad Orationem referuntur voces sive longæ sive brevæ.

Qui sunt Canones sive Proprietates Quantitatis?

1. Quantitatum seu Magnitudinis, per se nulla est efficacia. Hic Canon refutat superstitionem eorum, qui vel certis characteribus prolatiis, vel aliquibus figuris de collo suspensis morbis mederi volunt.

2. Sicut Substantiis, ita Quantitati nihil est contrarium. Linea enim non contrariatur superficiei.

3. Quantum non recipit magis & minus. V. G. Hæc Linea non est magis linea quam illa.

illa. Sic hic numerus non est magis numerus quam ille. Major quidem potest esse linea hæc quam illa, non verò magis; quia major & minor conveniunt Quantitati continua: at magis & minus conveniunt Qualitatibus.

4. Maximè convenit Quantitati ut per eam aliquid dicatur æquale & inæquale, par & impar. Sic propter Quantitatem Nannus & pumilio est inæqualis Longolio: Sic propter Quantitatem tria sunt inæqualia numero quinario. Hæc de Quantitate.

DE QUALITATE.

Quid est Qualitas?

Qualitas est unde Subjectum quale dicitur, & unde efficax redditur ad aliquid agendum. V. G. si queratur quale hoc sit subjectum, dices, album, nigrum, bonum, malum, frigidum, calidum. Itaq; Quantitas oritur ex materia Substantia, Qualitas verò à Forma.

Quot sunt species Qualitatis?

Sunt quatuor: 1. Habitus & Dispositio. 2. Potentia & impotentia natu-

naturalis, 3. Passio & patibilis Qualitas. 4. Figura & Forma,

Explica primam Qualitatis Speciem videlicet Habitum & Dispositionem?

Habitus est Qualitas firma, constans, diuturna, difficulter mobilis, orta ex crebris actionibus in natura habili. Dispositio verò est Qualitas saltem inchoata, imperfecta, & non tam acquisita, quam acquirenda.

Habitus.

Dispositio.

Quotuplex est habitus & Dispositio?

Duplex: alius habitus & Dispositio est animi alius corporis. Animi habitus est vel in intellectu: ut Intelligentia, Sapientia, Prudentia, ars: vel in voluntate: ut, virtus & vitium. Habitus corporis est bene m-
tare, bene ambulare, bene saltare &c.

Qui sunt hic Canones notandi?

1. Dispositio precedit habitum ran-

quam via ad urbem ducens: Sic in infante bimulo est Dispositio, ad ambulandum. Sic in puero Elementario ad perfectè legendum. Sic si quis crebrò frequenter Templum Iesuitarum, illos visitet, cum illis colloquia crebra instituat, hæc est Dispositio ad futurum habitum Papismi. 13.

2. Habitus nos reddit ad operandum promptos & expeditos: Dispositio vero difficiles: ut enim cera tractata digitis fit mollior: ita partes quædam hominis sunt agiliores usu, & quasi facilitatem quandam seu molliem induunt.

3. Habitus naturales, si longo usu invaluerunt, & ab initio non sunt emendati nunquam, Artificiales verò tractu temporis & cum successione possunt amitti. Sic Habitus naturalis in lupo oves voraturo nunquam amittitur. Habitus verò artificialis Latine loquendi tractu temporis potest amitti, si quis non crebrò utatur sermone Romano.

Explica secundam Speciem

Qualitatis?

Potentia naturales dicuntur, quæcunq; ex natura interna vi res aptas efficiunt

ficiunt ad aliquid agendum. Naturales verò impotentia sunt inclinationes ex quibus res aliquid patiuntur: sic in igne est potentia naturalis calefaciendi. Deorsum tendendi in lapide; vivendi, audiendi in animali: In ventriculo est naturalis potentia concoquendi Chylum, in magnete potentia trahendi ferrum. Pertinent huc omnium corporum naturalium vires, ut: metallorum, herbarum, gemmarum. Pertinent huc naturales notitia hominis, quomodo Cicero inquit: omnibus hominibus innatum est & quasi insculptum esse Deum. Deniquè huc referenda sunt ingenia & inclinationes hominum ad diversas disciplinas & artes.

Quis est hic Canon notandus?

Potentia naturalis si arte adjuvetur, excellens quiddam efficit, ut, si quis natura fertur ad Poësin, & artem pictoriam, atq; arte & institutione adjuvetur, is egregium quiddam & admirandum præstabit. 13.

Explica tertiam Qualitatis Speciem?

Aristoteles vocat tertiam hanc Speciem Patibiles Qualitates. Dicuntur autem hæc Qualitates Patibiles, non

quod sint Passiones, sic enim pertinet ad
 Prædicamentum Passionis, sed quod no-
 stri sensus à talibus qualitatibus veluti
 immutentur & afficiantur. Ad hanc enim
 Speciem pertinent Lux & color, quatenus movent visum:
 sonus quatenus movet auditum; calor & frigus quia affi-
 ciunt tactum. Sapor, quia gustum, denique odor, quia
 excitat olfactum.

Explica ultimam Qualitatis Speciem?

Ultima Species est Figura & For-
ma. Est autem Figura & Forma tam
rerum naturalium quam artificialium.

Itaque huc pertinent figura & formæ cæli, plantarum,
 arborum, animalium. Item annuli, poculi, calceorum,
 vestium.

Quinam sunt Canones seu Proprieta-
 tes hujus Prædicamenti?

1. Qualitatibus inest contrarietas.

Sic Temperantia contrariatur intemperantiæ. Sic An-
 tichristus Christo adversatur, ratione Qualitatum.

2. Qualitates recipiunt magis &
minus, non quidem ratione, sue natura
vel non recipiunt, sed ea quæ ab his dicuntur
 ac De-

ac Definitionis, sed ratione inhesionis
 in hoc vel illo subjecto. Sic iusticia una in se
 considerata non est magis iusticia, quam altera. At ra-
 tione Subjectorum in quibus iusticia consideratur, illa reci-
 pit magis & minus, quia unus homo iustior est altero.

3. Maxime proprium est Qualita-
tibus, quod res inde similes & dissimiles
dicantur. Similia enim illa sunt, quo-
rum una & eadem est Qualitas. Dis-
similia verò quorum diversa est Qua-
litas. Sic aqua dissimilis est igni, Therites Helene.
 doctus indocto, propter dissimiles Qualitates.
 Hæc de Prædicamento Qualitatis.

Simi-
 lia
 Dissi-
 milia

DE PRÆDICAMEN-
 TO RELATIONIS.

Quotuplicia sunt Relata?

Duplicia: alia sunt perfecta, alia
 imperfecta. Relata perfecta, seu secun-
 dum esse sunt, quorum esse nihil aliud
 est, quam ad aliquid ita affectum esse,
 ut tota sua natura aliunde de pendeant.

V. G. Quod Dominus sit Dominus id totum habet ex suo Correlato nempe servo, idem statue de Patre & Filio, Præceptore & discipulo, Duce & Exercitu.

Quænam sunt requisita ad naturam perfectè relatorum intelligendam?

Quatuor: 1. Duo Subjecta: nempe David & Salomon. 2. Fundamentum, quod vel ex qualitate vel quantitate sumitur nempe potentia generandi. 3. Duo termini, Pater & Filius. 4. Relatio si à Patre incipit dicitur paternitas, si à filio incipit dicitur filiatio. Sic Melancton & Chemnitius sub duo Subjecta, fundamentū est habitus docendi & discendi, termini sunt Præceptor & Discipulus. Relatio si à præceptore incipit dicitur barbarè præceptoreitas. Si à discipulo dicitur discipulatus.

Quænam Vocabula ad Prædicamentum Relationis referuntur?

1. Omnes gradus cōsanguinitatis, tàm in linea recta, ut majores, tritavus, atavus, atavia, pater, mater, filius, filia, quàm etiam in collateralis equali vel inequali: ut, frater, soror, patruelis, consobrini, patruus, propatruus, amita, avunculus

culus matertera. Item omnes gradus affinitatis: ut, privignus, levir, glos, sororius.

2. Omnes gradus potestatis & officii, tàm Ecclesiastici, quàm Politici: ut, Rex, Princeps, Magistratus, Consul, prætor, Senator, Superintendens, Pastor, Episcopus, Inspector, Rector.

3. Huc pertinent Societates & quilibet cōfederationes: ut pactum, Testamentum, obligatio, mutuum, commodatum, depositum, oppignoratum, emptio, venditio, conjugium.

4. Omnia signa: ut, hædera signa vini, sigillum, diadema, sceptrum, fasces, tessera militaris, pignus, arrha, limes limitatum, &c.

Qui sunt hîc Canones notandi?

Relata sunt Entia maxima imbecillitatis & minima Entitatis. Ratio Canonis est. Quia reliqua accidentia nempe Qualitas & Quantitas immediate inheret substantiæ: Relationes vero præsupponunt loco fundamenti inter se & substantiam, vel Quantitatem, vel Qualitatem. Et nisi relationes habeant tale fundamentum præsuppositum, tunc certè sunt mera umbra & phantasmata. V. G. Si pater non præsupponat potentiam generandi, quid queso erit pater! Sic doctor, si non præsupponat doctrinam, quid erit Doctor?

2. *Relationes sua subjecta non alterant proprie, multò minus substantialiter mutant.* Sic aliquis civis allectus in ordinem senatorium ratione sue substantiæ manet idem, quamvis sit Senator.

3. *Omnia relata sunt convertibilia cum suis correlativis: ut limes est limitati limes, & limitatum est limitis limitatum.* Pater est filii pater, & filius est Patris filius.

4. *Relata sunt simul natura & cognitione, ideoque se mutuò ponunt & tollunt, tam in essendo quàm cognoscendo.* Sic nemo dicitur pater nisi qui habeat filium, Nemo dicitur Dominus, nisi qui habeat servum. Illa enim se mutuò ponunt. Hæc de Relatis Perfectis.

Quid vocas Relata imperfecta?

Relata imperfecta & secundum dici sunt ea, quacunque quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quæ quomodocunque alio modo ad alterum referuntur: ut, Doctus indoctus, virtus & vitium, dives & pauper.

Quis est Canon de his Relatis?

Relata

Relata imperfecta seu secundum Dici semper sunt reducenda ad suum prædicamentum, in quo primariò collocantur. Sic V. G. dives primariò est in Prædicamento Qualitatis. Idem iudica de virtute & vitio, &c.

DE PRAEDICAMENTO ACTIONIS.

Quid est Actio?

Actio est substantia per suas vires operatio & executio. Egregiè Melanchthon inquit, postquam substantia vestita est Quantitate, & deinde armata Qualitate, nunc in aciem producitur ad actiones.

Quotuplex est Actio?

Duplex: alia est Actio immanens, alia transiens. Immanens actio est, quæ in eo subjecto, in quo excitata est, terminatur, nec realem, & evidentem mutationem extrinsecus adfert. Talis immanens actio est contemplatio.

Actio

Actio Transiens est, quæ rem transmutat: Sic ignis exurēs ligna transmutat ea in cineres.

Estne alia Divisio Actionum?

Actiones vel sunt naturales, ut cum ignis calefacit aquam frigidam: vel intellectuales, ut, cum animo nostro hoc vel illud meditamur: vel voluntaria, ut cum studeo Temperantia, vel aliis virtutibus moralibus: vel denique sunt artificiales, cum sutor parat calceos.

DE PASSIONE.

Quid est Passio?

Passio est actionis receptio, & easdem admittit Divisiones, quas actio. Est autem alia Passio immanens sive intentionalis, alia transmutativa: Est etiam alia naturalis, alia intellectualis, alia voluntaria, alia artificialis.

Qui sunt Canones Actionis & Passionis?

I. Actiones

1. *Actiones & Passiones pleraque contrarietatem admittunt, non certe simpliciter & per se, sed propter Qualitates contrarias. Sic frige factio & calefactio sunt contrarie actiones.*

2. *Omnes Actiones & Passiones recipiunt magis & minus, similiter propter Qualitates quas habent. Sic ignis magnus magis calefacit, quam parvus, sic alius magis, alius minus calefacit corpus.*

3. *Omnis actio suscipitur certo fine. Et finis informat actiones, quia Deus, & natura, & homo nihil faciunt frustra.*

4. *Passio recipitur non tam per conditionem & modum agentis, quam per modum patientis. Sic capacitas discipline in Discipulo est imperfecta, non propter Praeceptorem doctum tradentem, sed propter Discipulum non sedulo repentem & apprehendentem. Hæc de Prædicamentis Perfectis & Principalibus.*

Quænam jam sequuntur Prædicamenta?

Præ-

Prædicamenta hæcenus à nobis tractata sunt necessaria, & perfectè definiti, dividi, ac cognosci possunt Hæc autem quæ sequuntur jam quatuor Prædicamenta perfectæ Definitionis ac tractationis Logicæ non sunt capacia, ideoque minus necessaria. Præterea hæc non disponuntur res abstractæ, & veram definitionem admittentes, sed tantum res concretæ, quæ utcumquè describi possunt, & rarò sub contemplationem veniunt.

Quæ Prædicamenta oriuntur ex Substantia & Quantitate ?

Ex Substantia & Quantitatis conjunctione oriuntur duo Prædicamenta: Nam Substantia ex loci connexionem, alicubi, temporis verò concursu, aliquando esse perhibetur: unde duo Prædicamenta Vbi & Quando.

Quid est Prædicamentum Vbi?

Prædicamentum Vbi est, in quo collocantur res denotantes locum. Est autem locus, alius Naturalis, ut supra, infra, ante, pone, ad dextrâ, ad sinistram. Alius fortuitus:

ut in

ut in Templo, in Museo, in urbe, in regione &c: Huc ergo pertinent nomina urbium, ut, Riga Rigensis, Dantiscum Dantiscanus. Item nomina regionum: ut Livonia Livonus, Germania Germanus. Deniquè huc non pertinet locus simpliciter (sic enim pertinet ad Prædicamentum Quantitatis) sed esse in loco; ut esse in mari, in monte, in fluvio, in Schola, in Templo. Item, marinus, fluvialis, insularis, montanus &c.

Quid est Prædicamentum Quando ?

Prædicamentum Quando est, in quo collocantur res circumstantiam temporis notantes. Non ergo huc pertinet Tempus absolute consideratum, sed in tempore esse: ut, 1. Ætates hominum: infantia, adolescentia, ætas virilis, senectus. 2. Ipsi homines talem ætatem habentes: ut, Infans, adolescens, vir senex, mulier, puella. 3. Partes anni mensium, & dierum: ut Ver, æstas, autumnus, hyems, mane, nocte, meridies, Calendæ, Idus, Nonæ.

D

Quæ

Quæ Prædicamenta oriuntur ex Substantia & Relatione?

Ex Substantia & Relatione oritur Situs & Habitus.

Quid est Situs?

Prædicamentum Situs est, in quo partes Substantiæ ordine collocantur: Partes corporum pertinent ad Substantiam, earum longitudo ad Quantitatem, earum forma ad Qualitatem, Locus ad Vbi, sed ordo partium locati ratione loci pertinet ad Situm, cum nempe pondero, quomodo omnia membra corporis sint sita. Huc ergo pertinet statio, stans, sessio, sedens, erectus, pronus, supinus.

Quid deniquè est Habitus?

Habitus oritur ex positione Substantiæ forma aliqua indumenti prædita circa Substantiam. Non autem huc pertinent, vestis, galea, pileus, arma, gladius &c: sed vestitum, galeatum, pileatum, armatum, gladiatum, coronatum, tunicatum, palliatum, cathaphractum, ocreatum, catenatum esse &c. Hæc de omnibus Prædicamentis.

DE

DE TERMINIS EXTRA SERIEM PRÆDICAMENTALEM CONSIDERATIS.

Qua ratione in hoc libro primo agis de istis Terminis?

In hoc libro primo Terminorum horum Definitiones, Divisiones, & generales Canones seu proprietates sunt explicandæ ut nempe sciam, quomodo secundum præscriptum istorum Terminorum res simplices sint expediendæ.

Quia ergo inter Terminos hosce primum omnium sese offert causa, dic Quidnam illa sit?

Causa est à qua dependet causatum, tam in essendo quam cognoscendo, & est omnis causa suo effectu nobilior & præstantior, unde colligitur Dei Verbum, tanquam causam, præstantius esse Ecclesia, ut causato.

Quotuplex est causa?

Causa est quadruplex: Efficiens,

D 2

Ma-

Materia, Forma, Finis. *Materia & forma dicuntur caussa interna & Essentiales, quia internam rei essentiam absolunt. Efficiens verò & Finis dicuntur externa, quia non ingrediuntur rei essentiam.*

DE CAUSA EFFICIENTE.

Quid est Causa Efficiens ?

Efficiens est caussa externa, à qua res est. Estque vel per se, vel per accidens.

Efficiens per se est, qua sua facultate efficit.

Efficiens per accidens est, qua non sua, sed aliena facultate efficit. Exemplum appositum in ferro ignito. Ignis enim in ferro sua facultate urit; At ferrum per accidens urit facultate aliena ignis.

Quis est hic Canon notandus ?

Omnis efficiens per se agit propter
cer-

certum finem, & finis movet atque in format actionem Efficientis. Et quia finis bonus est, ideo efficiens etiam non agit nisi bonum quid. Sic voluntas hominis sua natura non tendit ad malum, sed ad bonum: Intellectus non ad errorem, sed ad veritatem. Per accidens vero fit, quod voluntas velit mala, intellectus erret. At inquis cum homo seipsum interficit, cum furatur, mæchatur, agitne hic Efficiens bonum quid? Resp. In talibus actionibus duo sunt consideranda. 1. Ipse motus ortus ab anima tanquam caussa Efficiente, qui est bonus. 2. Deordinatio ac exorbitatio in motu non ab anima, sed ab appetitus vitiositate originem habens, quæ certè deordinatio non ad animam referri debet.

Quomodo Efficiens per se dividitur?

Divisiones Efficientis per se secundum quinque Prædicamenta commodè possunt tradi. Secundum Substantiam alia Efficiens est Naturalis, alia Voluntaria.

Naturalis caussa est, qua ex insita natura vi agit, sine deliberatione,

Sic ignis admota materia est causa naturalis uisionis. Sic Sol ex infita natura vi movetur.

Voluntaria est, qua agit ex precedente deliberatione. Et mentis discursu.
Sic homo est voluntaria causa deambulationis.

Qui sunt hic Canones notandi?

1. *Causa naturalis proprie est determinata ad unum oppositorum: Causa vero voluntaria est libera ad utrumque oppositorum:* Sic aqua sua natura tantum humefat, non siccat. Sic ignis sua natura tantum urit: Homo vero tanquam causa voluntaria potest scribere vel non scribere, saltare vel non saltare.

2. *Causa naturalis non potest actionem suspendere: causa vero voluntaria potest:* Sic ignis semper urit, neque admoto ligno hanc actionem suspendere potest. Homo vero potest pingere et non pingere.

Quæ est Divisio causæ Efficientis per se secundum Quantitatem?

Alia causa per se est prima, alia secunda. Prima est Deus optimus Maximus, qui operatur omnia in omnibus.

Secun-

Secunda est quæ à primæ causa concursu dependet. Sic nos omnes in nostris actionibus sumus causæ secundæ, et dependemus à primæ. Nisi enim à primæ sustentaremur et moveremur, in nihilum redigeremur.

Estne alia Divisio secundum Quantitatem.

Est: alia Causa Efficiens per se essentialiter, alia vero contingenter est subordinata, Essentialiter subordinata sunt, quæ sic habent, ut impossibile sit inferiorem sine superiore agere. Sic voluntas essentialiter subordinatur menti, quod enim mens iudicavit, hoc voluntas eligit.

Contingenter subordinata sunt, ubi inferior à superiore non dependet sua natura, sed tantum per accidens. Sic calceus quidem pendet ab homine, non quatenus simpliciter homo est, sed quatenus sutor est et artifex. Idem iudica de veste, statua &c.

Qui sunt Canones notandi?

1. *In causis essentialiter subordinatis*

D 4

tus

ius quod est causa causæ, est etiam causa causæ: Sic Deus est causa animæ, & anima est causa motus. E. & Deus est causa motus, At inquis: Deus est causa hominis. Et homo est causa peccati: E. & Deus, vi Canonis, est causa peccati. Resp. fallit conseq. propter confusionem essentialiter & contingenter subordinatorum. In maiore enim ea conjunguntur, quæ essentialiter subordinantur: In minore verò quæ contingenter; ut, homo & peccatum. Idem statue de hoc Exemplo. Deus est causa equi. Equus est causa claudicationis. E. & Deus est causa claudicationis.

2. Idem quatenus idem semper facit idem, servato eodem objecto in quod agitur: Sic Sol calore suo ceram liquefacit, lutum indurat. Sic idem DEi Verbum in piis salutem operatur, in impiis mortem. Ratio diversæ operationis est in dispositione objecti variantis.

Quæ est Divisio causæ Efficientis per se secundum Qualitatem?

Alia Efficiens per se est mediata, alia immediata.

Mediata est quæ remota vi ac virtute effectum producit.

Immediata est, quæ proxima vi ac virtute

virtute effectum producit. Sic præceptorum methodus animo concepta est Efficiens mediata. Exercitatio est Efficiens immediata futuri habitus Grammatici in puero. Sic in cane venatico anima locomotiva est Efficiens mediata: Exercitatio verò est immediata cursus velocis & pernicious.

Qui sunt hîc Canones notandi?

1. Causam proximam inquirimus cum sensu & observatione: tum examine Logico. Nam hæc duo sunt instrumenta, quæ Deus hominibus concessit ad causas proximas investigandas. Prius est sensus & observatio, seu collatio rerum inter se, ut patet in Eclipsi Lunari, Solari, tonitru: &c. Quia verò sensus potest fallere, nec satis distinctè docet: Ideo accedit alterum medium nimirum, Examen Logicum, quo id, quod sensus monstrat, examinatur ad Canones seu requisita causæ proximæ, quæ Logica suppeditat.

2. Posita causâ proxima necesse est poni effectum, & sublata tolli. Sic si nubes resolvantur, necessariò sequuntur pluvie. Sic si quis nimium superbit, necessariò dejicitur.

3. Unius Effectus non est nisi una causâ proxima: licet una possit esse plurimum effectuum: Sic habitus Logici unica causâ

sa proxima est exercitatio Logica, quæ tamen exercitatio plures effectus producere potest, nempe quod ingenium acuat, iudicium formet: Sic anima rationalis est causa proxima intelligentiæ humanæ: & tamen illa unica diversos producit effectus, nempe sermonem, risum, & disciplinæ capacitatem.

4. Per causam proximam accidens proximum subjecto inherens distinctè ac perfectè cognoscitur: quod patet in doctrina Demonstrationis.

Quæ sunt Divisiones Causæ per se secundum Relationem?

Alia causa est principalis, alia instrumentalis. Principalis est, quæ rem primò & principaliter agit. Causa Instrumentalis est, quæ principali subseruit tanquam instrumentum. sic principalis causa belli est campiductor sive Imperator, à quo pendent centuriones, milites, totusque exercitus, Instrumenta sunt arma.

Qui sunt hîc Canones notandi?

1. Instrumenta accipiunt omnem determinationem.

terminationem à principali agente.

Sic penna non ducet hanc vel illam lineam, nisi tua manus ad talem lineam exprimendam eam regat. Sic gladius non dissecat uno ictu collum, nisi carnifex eum ita regat.

2. Instrumenta in usu demum sunt instrumenta, & ab usu omnem perfectionem sortiuntur. Sic in usu demum vides, quæ sit vis instrumentalium disciplinarum, nempe Grammatica, Logica, Rhetorica. Sic nisi culter ad scindendum adhibeatur, non potest proprie dici culter.

Estne adhuc alia Divisio Efficientis per se secundum Relationem?

Alia Efficiens impulsiva est proëgumena, alia procatartica. Proëgumena est, cum principalis efficiens interna inclinatione & dispositione ad agendum movetur.

Procatartica est, cum Efficiens extrinsecus ad agendum impellitur: Sic principalis Efficiens nostræ salutis est DEUS: proëgumena est insitus DEI amor, procatartica est Christi meritum, hoc enim DEUS intuetur cum nos amat. sic proëgumena causa amoris in adolescente est interna inclinatio & nature propensio: procatartica est virginis pulchritudo.

Quæ

60.
Quæ sunt causæ per se secundum
actionem?

*Alia Efficiens est Transmutativa,
alia Emanativa. Transmutativa est,
quæ sensibiliter rem transmutat: ut, Ignis
concremans ligna. Emanativa est, cum Ef-
fectus producitur sine sensibili transmu-
tatione: Vt cum Syllogismum facio mente, aut Cœ-
lum intueor. Hæc de Efficiente per se.*

Quid est Efficiens per Accidens?

*Efficiens per accidens est, à qua Ef-
fectus nec natura, nec consilio pendet:
sed præter naturæ & voluntatis inten-
tum aliunde provenit: Sic nox & amor vi-
numquæ nihil moderabile suadent per accidens. Sic fe-
bris est causa per accidens Temperantiæ: per se enim est
voluntas frenans appetitum cibi & potus.*

Hæc pertinent Casus & Fortuna:

*Sic fossio serobis fuit causa per accidens Tymoni mysan-
thropo thesauri inveniendi. Christiani Fortunam occul-
tam quandam divinæ providentiæ in rebus humanis gu-
bervationem vocant, quæ sit præter aut supra hominis co-
gitationem. Ethnici suo more atquæ adeo impiè etiam de
fortuna loquuntur. Hæc de Causa Efficiente. DE*

61.
DE MATERIA.

Quid est Materia?

*Materia est unde dependet substā-
tia materiata: Sic semen foeniculi est materia ex
qua foeniculum nascitur. Semen tritici est materia, un-
de triticum nascitur. Sic materia hominis terra est.*

Quomodo vox Materiæ apud
Philosophos sumitur?

*Triples est Materiæ acceptio: 1. Su-
mitur pro objecto, & dicitur materia
circa quam. Sic Grammatica objectum sive
materia est oratio pura & Latina. Logica omnes res in
mundo. Arithmetica numerus.*

*2. Sumitur pro subjecto in quo, & di-
citur Materia in qua. Sic ignis agit in aquam
calefaciendo. Sic architectus agit in ligna, lapides.*

*3. Materia dicitur ex qua: Sic ex
Elementis sunt corpora mixta.*

Habentnè & Accidentia suas
materias?

*Materiæ nomen propriè com-
petit*

petat substantys, improprie vero Acci-
dentibus. Sic præcepta dicuntur materia artis.
Literæ vel Syllabæ materia orationis. Propositiones tres
materia Syllogismi.

Qui sunt hîc Canones observandi?

1. *A materia nulla oritur rerum di-
versitas, sed propter eam maxima est
convenientia.* Sic Janua, pavementum, tectum,
cista &c. eandem habent materiam. Sic omnia animalia
eandem habent materiam nempe terram, sive quatuor E-
lementa.

2. *Qualis est materia, talis est res
materiata; quia Effectus sua causa non
est præstantior: si ergo materia est lignea, tunc
res materiata non est argentea.*

3. *Omnis materia est restricta ad
certam ac Individualem Formam, ne-
quæ aliam diversæ Speciei formam po-
test recipere.* Sic corpus hominis est determinatum
tantum ad formam humanam. Hæc de Materia.

DE FORMA

Quid est Forma,

Forma

*Forma est causa, unde res formata
pendet, sive qua dat esse rei.*

Quotuplex est Forma?

*Duplex: alia est remota, alia est
proxima. Remota est, unde res for-
mata remotè pendet: Sic Sol est forma hominis
remota, si attendas illud Aristotelis: Sol & homo gene-
rant hominem.*

*Proxima est, unde res formata pro-
ximè pendet, sic anima rationalis est proxima ho-
minis formæ.*

Qui sunt hîc Canones notandi?

1. *Forma est præstantior materia.
Quia forma est actus, materia est po-
tentia, & actuatur & determinatur
per formam.*

2. *Formæ tria sunt officia. 1. Rei
constitutio. 2. Distinctio rei ab omni-
bus aliis. 3. Operatio.* Sic anima rationa-
li posita constituitur homo atque idem distinguitur ab om-
nibus brutis irrationalibus: deinde etiam videt homo,
loquitur, discit, studet &c.

3. Omnis

3. Omnis res est per propriam formam non per alienam. illam enim animam, qua ego vivo & homo sum, tu non habes. Sic illa fide, qua ego credo & salvor, tu non credis & salvaris. Iustus enim sua propria fide vivit.

4. Forma non suscipit magis & minus, neque gradibus variatur. Itaque non est maior in me anima rationalis, quam in altero. Verus animæ rationalis potest esse major in hoc, quam in illo. acquisitus ex habitu, vel doctrinæ, vel educationis, vel conversationis cum sapientibus, vel influentia cœli: sed id fit per accidens. Hæc de forma.

DE FINE.

Quid est Finis?

Finis est causa cujus gratia res est, & ad quam res dirigitur. Egregiè Cicero officiorum finem hominis exprimit, quando sic inquit: Homines hominum causa generati, ut ipsi inter se alii alius prodesse possint.

Quotuplex est Finis?

Finis alius est per se, alius per accidens. Finis per se dividitur in principalem & minus principalem. Prin-

Principalis est ad quem res principaliter ordinatur: Sic principalis studiorum nostrorum finis est Dei gloria, Ecclesia & Reipublicæ emolumentum. Sic Cicero 5. de Repub. Moderatori, inquit, Reipublicæ beata civium vitæ proposita est, ut ea nimirum opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Minus principalis est, ad quem res minus principaliter dirigitur. Sic minus principales studiorum fines sunt vitæ commoditates & honores.

Quomodo Principalis finis subdividitur?

Principalis rursus subdividitur in intermedium & ultimum.

Intermedius est, qui refertur ad ulteriorem finem. Sic constructio domus est quidem finis architecti, sed non ultimus, quia domus refertur ad commodam inhabitationem.

Ultimus est, in quo mens humana acquiescit. Sic celebratio nominis divini est ultimus, finis hominis. Sic Logices veritas: Rhetorices persuasio.

Qui sunt hæc Canones notandi?

E

i. Co.

1. Cogitato sine cogitanda sunt media ad finem ducentia. Sic qui cogitat doctus fieri, cogitet simul de mediis. Hinc vulgò dicitur: **Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia.** At inquis: Deus vult finem in Pharaone nempe gloriae suae manifestationem. Ergone vult ipsam indurationem & peccatum? Resp. Canon est limitandus hoc modo: **Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia; quatenus media per se & sua natura ad hunc finem tendunt.** Iam verò induratio, ut & alia peccata non tendunt per se ad manifestationem gloriae Dei, sed planè per accidens. Deus enim potest ex malis mediis bonum finem elicere.

2. Finis ultimus est semper bonus, & in eo terminatur appetitus, atque operatio Efficientis. Quod autem latro appetit vitam viatoris, fur aliena bona. Dico distinguendum esse inter verum & apparentem finem. Fines enim isti sunt apparentes, non autem veri.

Quid vocas Finem per Accidens?

Finis per accidens est, ad quem media non sua natura, sed per accidens diriguntur: sic persecutionis Ecclesiae finis accidentaliter est ejus incrementum. Sic finis indurationis Pharaonicae accidentaliter est manifestatio gloriae divinae. Hæc de Fine. DE

DE CAUSATO SEU EFFECTU.

Quid est Causatum?

Causatum est, quod ex causa oritur, atque inde dependet.

Quoruplex est Causatum?

Quadruplex: Effectum, Materialum, Formatum & Finitum.

Effectum est, quod ex causa Efficiente existit. Sic Sol est causa Efficiens; Dies est Effectum. Sic Cicero Philosophiam ex Effectis describit: O vita inquit, Philosophia Dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu urbes pepulisti: tu dissipatos homines in societatem vite convocasti: tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugis tum literarum & vocum communionè junxisti? Tu inventrix legum: tu magistra morum, & discipline fuisti; Tu vitam tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti. Hic Philosophia est causa Efficiens, reliqua omnia sunt Effecta. Sic Horatius ebrietatem per Effecta de pingit. Quid non ebrietas designat? opera recludit, Spes jubet esse ratas: in prælia trudit inermem, Sollicitis

animis onus eximit, ac docet artes. Fecundi calices quem non fecere disertum?

Materiatum est, quod ex materia oritur. Sic gladius ferri, panis farinae materiatum est.

Formatum est, quod ex forma oritur: Sic homo est formatum animæ rationalis, bos est formatum animæ sentientis, planta est formatum animæ vegetantis.

Finitum est, quod à fine pendet. sic defensio armorum, habitatio domus finitum est.

Qui sunt hîc Canones notandi ?

1. Idem non potest esse simul sui ipsius Causa & Effectum. Malè ergo faciunt Iesuite, qui bona opera, quæ sunt justificationis effectus, volunt esse ejus causam & quidem formalem.

2. Ut sese res habet in esse, ita etiam in causari: quippe causa toto genere non est deterior suo Effecto. Quicumquè ergo est creator, & habet infinitam potestatem, ille potest permutare unam naturam in alteram. Iam verò Diaboli, organa & stabella ejus non sunt creatores, nec habent infinitam potestatem. E. non possunt permutare unam naturam in alteram, Et per consequens ruit ementita λυκαυδωνία (Wawolff.)

3. Nullus

3. Nullus Effectus est ante suam Causam; & omnis causa est suo effectui prior. Nulla ergo creatura materialiter & Effectivè considerata fuit ante suum creatorem.

4. Sublata Causa tollitur Effectus: Itaque sublata justa calidi & humidi temperatura in homine tollitur ipsa vita. Hæc de Effectu:

DE SUBJECTO.

Quid est Subjectum ?

Subjectum est quod accidenti subicitur.

Quæ sunt Divisiones Subjectorum ?

1. Divisio est hæc: aliud est Subjectum in quo, aliud cui quid, aliud est occupans.

Subjectum in quo dicitur in quo aliquid est, quodquè aliquid in se recipit. Sic anima hominis est Subjectum recipiens tam virtutes quam vitia. Sic corpus est Subjectum recipiens tam pulcritudinem, quam deformitatem.

Subjectum cui dicitur, quod extrin-

E 3

se us

secus aliquid ad se recipit. Sic homo extrinsecus recipit ad se vestes, divitias, paupertatem &c.

Subjectum occupans est, circa quod actio vel ars aliqua occupatur. Sic Arithmeticae Subjectum occupans est numerus. Physicae corpus naturale. Logicae omnes res.

Quæ est altera Subjecti Divisio?

Aliud est absolutum, aliud limitatum.

Subjectum absolutum, dicitur alias subjectum quod, est quæ cui accidens absolute citra omnem determinationem inest. Sic animal est absolutum subjectum sensus. Unde homo dicitur videre, audire, non oculus, non auris: quia oculus & auris sunt instrumenta visus & auditus.

Subjectum limitatum, dicitur alias subjectum quo, est quæ cui accidens tribuitur limitatè, i. e. secundum partem, non secundum totum. Sic homo est subjectum scientiæ respectu intellectus: concoctionis respectu ventriculi. Æthiops est subjectum albedinis secundum dentes.

Quomodo Subjectum absolutum dividitur?

Sub

Subjectum absolutum subdividitur in commune & proprium.

Commune est, extra quod patet accidens, ita ut cum eo non reciprocetur. Sic homo Subjectum quidem est coloris ut albedinis & nigredinis, sed commune, quia hæc accidentia patent extra hominem.

Proprium est extra quod accidens non patet, & cum eo reciprocatur, sic animal est Subjectum proprium sensus, homo risus.

Possuntne & accidentia dici Subjecta?

Possunt, sed analogicè & imperfectè. Sic cognitio Logices, quæ homini accidit, potest dici analogicè Subjectum recti iudicii. Sic magnitudines & numeri in scientiis Mathematicis dicuntur Subjecta. Hæc de Subjecto.

DE ACCIDENTIBVS.

Quia supra satis explicatè egimus de Accidentibus, Enumera jam nonnullos Accidentium Canones?

E 4

I. Ac.

1. *Accidentis proprie essentia consistit in eo, quod inhereat subjecto.*

2. *Licet omnis Substantia finita, sit praedita accidentibus, nulla tamen ab accidente fit alia, sed tantum altera.*

Sic eruditio non efficit hominem alium in essentia, sed tantum alterat hominem, ut qui ante erat indoctus, jam sit doctus.

3. *Accidens numero unum nequit esse in diversis numero subjectis: neque migrat de subjecto in Subjectum:* Sic eruditio quae est in me, non est in te. Sic formositas Paradisi non migrat in Thersitem.

4. *Omne proprium unius Speciei accidens est incommunicabile alteri Speciei realiter diversa:* Itaque hinc concluditur: Propria accidentia hominis non communicari lupo; neque propria accidentia lupi, communicari posse homini. Hæc de Accidentibus.

DE TOTO ET PARTE.

Quid est Totum?

Totum est quod constat ex partibus.

Sic homo est totum. Corpus autem & anima sunt ejus partes, Qua

Quæ sunt Divisiones totius?

1. *Aliud totum est universale, aliud essentiale, aliud integrale, aliud aggregativum.*

Totum universale est Genus respectu suarum Specierum, & Species respectu Individuorum. Sic animal est totum universale, quod habet hominem & bestiam pro partibus. Et homo similiter totum universale est pro partibus habens Petrum, Paulum, & alia Individua.

Essentiale totum est, quod constat ex partibus essentialibus. Sic homo est totum essentialiale constans ex corpore & anima, partibus ejus essentialibus. Sic corpus naturale constans ex materia & Forma, est totum essentialiale.

Totum integrale est, quod constat ex partibus integrantibus. Sic homo est totum integrale, constans ex capite, pedibus, pectore collo, &c: partibus ejus integrantibus.

Totum aggregativum est, quod ex multis partibus aggregatis constat, tam in substantiis, quam in accidentibus. Sic domus est totum aggregativum constans ex multis lignis,

Lapidibus &c: Sic Resp. constat ex senatu, civibus, ministris. Sic Grammatica constat ex Orthographia, Prosodia, Etymologia, & Syntaxi. Sic oratio constat ex literis, Syllabis & dictionibus.

Quomodo totum integrale rursus subdividitur?

Totum integrale est vel homogeneum sive simile, vel heterogeneum sive dissimile. Totum homogeneum est, quod constat ex partibus idem nomen cum toto habentibus. Talia sunt sanguis, aqua, vinum, cerevisia, lac, quorum partes idem nomen habent cum toto: quippe quaelibet pars sanguinis est sanguis.

Heterogeneum est, quod constat ex partibus diversum nomen à toto obtinentibus. Sic homo constat ex capite, collo, manibus, pedibus &c: quarum nulla pars dicitur homo.

Eadem Divisiones totius competunt partibus pro natura Relatorum; ita ut alia pars sit universalis, alia Essentialis, alia Integralis, alia homogenea, alia heterogenea.

Qui sunt hęc Canones notandi?

1. Nihil

1. *Nihil quod est pars totius, est ipsum totum.* Hoc Canone jugulabis Iesuitas, qui partem Sacramenti nempe corpus Christi, pro toto distribuunt Sacramento, neglecto vino & sanguine Christi.

2. *Omne totum est prestantius suis partibus. Nam totum est Ens completum & perfectum, partes sunt Entia incompleta & imperfecta.* Malè igitur faciunt Iesuitæ, qui Papam Ecclesie partem præferunt toti Ecclesie. Hęc de toto & parte.

DE TERMINIS SIMPLICIBVS EXTERNIS.

Quotupliciter termini simplices externi considerantur?

Tripliciter: vel ut Connexum, vel ut objectum, vel ut Concomitans.

Quid est Connexum?

Connexum est, quod simul cum re evenit. Sic connexum Christi in Baptismo fuit vox Patris de Cælo: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Sic connexum passionis Christi fuit obscuratio Solis, r-
ptura

ptura veli in Templo, scissura petrarum, hæc enim simul cum passione evenerunt.

Quid est Objectum ?

Objectum est, circa quod vel artes vel actiones hominum occupantur.

Estque vel per se, vel per accidens.

Objectum per se iterum est, vel Commune, vel proprium.

Commune objectum est, circa quod multa simul versantur : Sic commune objectum omnium fidelium est Verbum Evangelii. Sic omnium sensuum commune objectum est magnitudo, figura, & motus.

Proprium objectum est, quod uni sensui est determinatum : ut color visui, dulcedo gustui.

Objectum per accidens est, circa quod res per accidens occupatur : Sic falsum sine error est objectum per accidens intellectus, malum voluntatis.

Quid est Concomitans ?

Concomitans est vel antecedens, vel consequens.

Ante-

Antecedens est quod rem tempore antecedit sive necessario sive contingenter : Sic morbus est antecedens curationis. Sic pueritia antecedit necessario adolescentiam. Sic pallor Luna futuræ pluvias contingenter antecedit.

Consequens est quod rem consequitur sive necessario, sive contingenter : Sic perpetuam vitam sedentariam necessario multi morbi insequuntur. Sic albedinem Lune contingenter sequitur serenitas. Sic Papa Romanus contingens est successor & plane per accidens Petri aut Pauli : perinde ac in imperio Constantinopolitano successor Constantini Magni plane per accidens est Turca. Hæc de Terminis simplicibus extra seriem Prædicamentalem consideratis.

**DE TERMINIS OR-
TIS ET CONFLATIS EX
ISTIS SIMPLICIBVS DE
DEFINITIONE.**

Quid est Definitio Nominis ?

Definitio nominis est, quæ vocis naturam ac significationem explicat V.G. Antichristus est Christi adversarius. Lycanthropus est lupus ambiguus.

Quid

Quid est Distinctio?

Distinctio est vocis ambigua ad certam significationem reductio. V. G. Cancer est vox ambigua, & modò piscem, modò sydus cœleste, modò morbum significat. Debet ergo distinctio vocis prima esse in omni rerum consideratione, ut constet, qua potissimum significatione uti velimus.

Quid est Illustratio vocis obscuræ?

Illustratio vocis obscura est, cum vox obscura ad perspicuam reducitur. V. G. pandiculari, idem est, quod diducere artus & membra præ somnolentia. Sic tuburcinari significat cibum indigestum nec bene manducatum cogere in ventriculum.

Quid est Conjugatio?

Conjugata dicuntur, quæ ab eodem diverso modo deducta fluxerunt: ut, iustitia, iustus. Casus autem est alicujus nominis principalis inflexio in adverbium: ut à iustitia inflectitur justè adverbium.

Spectantur verò Logica conjugata potissimum dupliciter: 1. Cum in conjugatis cum vocis inflexione simul terminationis diversitas observatur: ut, iustitia, iustus. Illa enim propriè non sunt conjugata,

jugata, in quibus quidem significationis, at non terminationis diversitas est: ut Grammatica mulier ab arte Grammatica. Ingenia Mathematica à disciplina Mathematica. Illa quoque Logicis rectè dicuntur conjugata, quæ etsi voce discrepant, significatione tamen conveniunt; ut, somnus & dormiens, morbus & ager.

Quid est Definitio Rei?

Definitio rei est oratio, quæ essentiam rei naturamve declarat, neque tantum Quid sit, sed & qualis sit.

Quotuplex est Definitio Rei?

Definitio alia est perfecta, alia Imperfecta. Definitio perfecta est, quæ definitum terminis essentialibus explicat.

Qui sunt Canones Definitio- nis perfectæ?

1. *Definitum non debet fieri pars Definitionis.* Non enim possum dicere, homo est animal rationale & homo.
2. *Nullum ambiguum est definiendum, nisi prius distinguatur.*

3. *Omne quod perfectè definiri debet, necesse est, ut sit in aliquo ex sex Prædicamentis principalibus, & quidem ut Species & Genus subalternum.*

4. *Definitum & Genus Definitionis sumuntur ex eodem Prædicamento: ut, Homo est animal rationale. Hic homo & animal sunt in eodem Prædicamento.*

5. *Definitionis verba sint perspicua, propria & clara. Ergo ex obscuris & ambiguis nihil est definiendum.*

6. *Definitio sit adequata Definito, id est, nec angustior, nec latior, sed convertibilis.*

Quomodo Differentia in Definitione investigatur?

Differentia est vel Substantiarum, vel Accidentium. Substantiarum differentia invenitur inspectione Prædicamenti Substantiæ, hoc pacto: Proponas tibi Speciei definiendæ Individua, & videbis, quid illis omnibus communiter in sit, in quo cum aliis conveniant, vel ab aliis discrepent, retineatur id quod illis est commune, & quidem solis, atque hoc habeatur Differentiæ loco: V. G. Sit ho-

mo

mo Species definienda: propone tibi hujus Speciei Individua Petrum, Paulum, Iohannem &c. quæ conveniunt rationalitate, & hac ipsa discrepant ab aliis diversæ Speciei Individuis, atque hæc rationalitas Solis hominum Individuis inest. Proinde rationalitas habetur loco Differentiæ, si modo sit convertibilis cum Definito.

Quæ est ratio definiendi Accidentia?

In Accidentibus Differentiæ loco plures termini assumuntur: ut est causa Efficiens, & Finalis: Item Subjectum & Adjunctum: vide in Physica definitionem visus nigredinis, ire &c.

Quid est Definitio Imperfecta?

Definitio Imperfecta est qua definitum imperfectè explicat, sive per partes sive per accidentia communia, sive per Effecta, quales Definitiones Imperfectæ vulgò dicuntur Descriptiones. sic gloria describitur in Oratione pro Marco Marcello. Gloria est illustris & pervulgata multorum & magnorum vel in suos cives vel in suam patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. Recitantur multæ formæ

F

Defini-

Definitionum apud Boëthium, quæ quidem minime videntur esse necessariae. Sufficit enim Logices studioso, quod alia Definitio sit perfecta, alia Imperfecta. Hactenus de Definitione.

DE DIVISIONE.

Quid est Divisio?

Divisio est Oratio, qua totum in partes distribuitur.

Qui sunt Canones Divisionis?

1. *Quicquid dividitur, id partes habeat necesse est.*

2. *Quantum fieri potest, divisio facienda est per partes proximas.*

3. *A diviso & divisione absit omnis ambiguitas: ambigua enim nequè definiiri, nequè dividi possunt.*

4. *Partes in divisione inter se debent esse oppositæ, ut consentire nequeant inter se, sed tantum cum toto. Eo n. divisio est accuratior, quo & partium inter se dis-*

se dissensio major, & cum toto consensus firmitior fuerit. Sic verbum Dei dividitur in Legem & Evangelium, quæ partes inter se sunt oppositæ, at cum toto Dei verbo bene consentiunt. Sic Grammatica dividitur in Orthographiam, Etymologiam, Prosodiam & Syntaxim, quæ partes inter se dissentiunt, sed cum toto bene consentiunt.

5. *Membra dividenda toti sint adæquata: divisio enim suo diviso nec latior, nec angustior esse debet.* Unde male Ecclesia à Iesuitis dividitur in triumphantem in caelo, militantem in terris, & illam quæ est in purgatorio. Patet n. hæc divisio extra naturam divisi, quia nulla est Ecclesia in purgatorio.

Quotuplex est Divisio?

Duplex: *Alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta sive principalis est, totius perfecti in suas partes divisio est, quæ vel Generis in suas Species, vel Totius in suas partes.*

Quid est divisio Generis in suas Species?

Divisio Generis in suas species est, cum Genus in suas species distribuitur.
 ut, Animal in hominem & brutum. Morbus in febrim, epilepsiam, apoplexiam. Peccatum in originale, & actuale.

Quotuplex est Divisio totius in partes?

Alia Divisio totius est in partes vel Essentiales, vel integrales.

Divisio totius in partes Essentiales est, cum homo dividitur in animam, & corpus: corpus naturale, in materiam & formam.

Divisio totius in partes Integrales est, cum homo dividitur in pectus, caput, pedes. Hæc de Divisione principali.

Quid vocas Divisionem imperfectam?

Imperfecta est, cum totum per accidens & improprie in partes distribuitur: Estque vel Subjecti in sua Accidentia:

dentia: vel Accidentis in Accidentia; vel Accidentium per sua Subjecta; vel Effectuum per suas causas: vel etiam rerum objecta.

Exemplum Subjecti per sua Accidentia, ut Hominum alii sunt docti, alii indocti; alii divites, alii pauperes. Exemplum Accidentis in Accidentia, ut verbum Dei dividitur in vetus & Novum Testamentum. Exemplum Accidentium per sua Subjecta. Morbi alii sunt capitis alii Stomachi. Exemplum divisionis ex Causis, ut: Animalium aliud parentum efficacia, aliud solo calore solis ex putredine gignitur. Sic ex materia arbores alie ex semine nascuntur, alie ex aliarum arborum surculis, alie sponte ex certis quibusdam terræ partibus ad id dispositis oriuntur. Ex fine: alia afflictio est pœna, alia est probatio, alia Martyrium, alia Lytrum, ut mors Christi. Ex objectis: Dilectio, alia est Dei, alia proximi. Ex circumstantiis loci: Gentes alie habitant ad ortum solis ut Persæ; Alie ad Occasum, ut Hispani; Alie ad Meridiam ut Itali; Alie ad Septentrionem ut Dani. Denique ex circumstantiis temporis: Flores aut sunt hyberni, aut Verni, aut æstivi, aut Autumnales. Hæc de Divisione.

**DE RERVM IDENTI-
TATE ET HOMO-
GENIA.**

F 3

Qui

Quid est rerum Identitas & Homogenia?

Est rerum unitas & Convenientia.

Quotuplex est Identitas?

Alia Identitas est formalis, alia numerica.

Formalis sive Essentialis Identitas est, ubi res forma ac Essentia eadem est, evolutione tamē definitionis differt.

Sic eadem sunt Homo & animal rationale, hoc est definitio & definitum.

Quid vocas Identitatem Realem?

Realem Identitatem tribuimus iis rebus, quae non sunt plane diversa, sed tantum subordinata. Sic homo & animal dicuntur eadem Realiter, quia homo sicut species subordinatur animali ut generi.

Quid Generica, quid Specifica Identitas?

Generica est eorum, quae Genere conveniunt. Sic Accidens & Substantia conveniunt uno genere nempe Ente: Sic Homo, Bos, leo Animali conveniunt Specifica

Specifica Identitas est, quae una specie infima conveniunt. Sic Petrus, Paulus Iohannes specie conveniunt.

Quid vocas Identitatem causalem?

Causalis est, quae causis conveniunt, Sic omnes homines eandem habent causam efficientem Deum, materialem terram, formalem animam rationalem, finalem Dei gloriam & proximi emolumentum.

Quid vocas Subjecti Identitatem?

Subjecti Identitas est plurium accidentium, quae sunt in uno subjecto. Sic facultates Intelligendi, videndi, ridendi, sunt in uno homine.

Quid est Accidentalitas Identitas?

Accidentalitas, Identitas est eorum, quae iisdem Accidentibus conveniunt. Sic Elias Propheta, & Iohannes Baptista convenerunt Identitate accidentali, nempe heroico & Zeloso spiritu.

In quibus rebus consideratur Accidentalitas Identitas?

Consideratur vel in Paritate, vel in

*Similitudine. Paritas est Homogenia
& unitas rerum in quantitate cuius
nota sunt Tam, Quam, Tot, Quot, Non
magis, non minus.* Seneca lib 1. de Clement.

Principi non minus turpia multa supplicia, quam medico funera. Sic Cic. pro Lel: Bono viro non minori curæ est, qualis republ. post mortem suam futura sit, quam qualis hodie sit.

Similitudo est Homogenia & unitas rerum in qualitate. Sic Æthiops & corvus dicuntur similes propter nigredinem. Sen. lib 5. de clement. Ingenia præclara ut nobiles & generosi equi melius facili freno reguntur.

Qui sunt canones de Similitudine?

1. *Omne simile valet in uno tertio, extra quod non est extendendum, alioquin simile claudicabit, & simile curvet quatuor pedibus.* Cic. in Cato: Major: Morti nihil est tam simile, quam somnus, interim tamen nemo scit, aliud plane esse somnum, aliud mortem.

2. *Similia non instituantur inter res nimium remotas, sed aliquatenus cognatas.*

3. *Simi-*

3. *Similitudo parabolica ad populare dicendi genus est valde accommodata, quod vel ex concionibus Salvatoris videre est.*

Quid est Identitas Externa?

Externa est, cum res terminis extrinsecis conveniunt. Sic multi conveniunt eodem loco & tempore, & idem spectaculum afficiunt. Hæc de rerum Identitate.

DE RERVM DISTINCTIONE ET HETEROGENIA.

Quomodo consideratur distinctio?

Distinctio consideratur, vel in sola mente ejusque apprehensione, vel etiam in ipsis rebus.

Distinctio mentalis vocatur distinctio rationis, quia à pura ratione excogitatur, nullo distinctionis fundamento

F 5

in re

in re invento. Sic homo & animal rationale in re non differunt, nihilominus tamen intellectus rationalis discrimen inter ea collocat, & hominem ut definitum, animal autem rationale ut definitionem & explicitum quippiam considerat.

Quotuplex est distinctio in rebus considerata?

- 1. Virtualis. 2. Ex natura rei. 3. Formalis. 4. Realis 5. Generica. 6 Specifica. 7 Individualis. 8. Subjectiva. 9. Accidental.

Quid est Distinctio Virtualis?

Distinctio virtualis non est in ipsa re, sed in rei virtute & effectu. sic Lex & Euangelium est unum Dei verbum, diversus tamen eorum effectus est vel virtus. Sic in lumine est vis calefaciendi & exsiccandi, quæ in lumine re ipsa non distinguuntur, sed tantum virtute & effectu.

Quid est distinctio ex natura rei?

Distinctio ex natura rei est, quæ immediate in re fundamentum habens inter

ter ea est, quorum alterum pertinet ad perfectionem alterius. Sic Genus & Species, ut Homo & Animal: Item Generis & Speciei differentie, Sentiens & Rationale differunt ex natura rei.

Quid est distinctio Realis?

Distinctio Realis est inter ea, in quibus est accurata oppositio: & coincidit cum essentiali, quatenus versatur inter diversas naturas & essentias. Sic homo & equus, homo & scannum, vacca & homo differunt realiter.

Quid est distinctio Generica?

Distinctio Generica est eorum, quæ differunt Genere. Sic aurum & homo Genere differunt, auri enim genus est metallum, hominis vero animal.

Quid est distinctio Specifica?

Specifica distinctio est eorum, quæ ex uno genere orta per essentielles differentias distinguuntur. Sic homo & equus sunt diverse species sub uno Genere.

Quid

Quid est distinctio Individualis?

Individualis distinctio est eorum, qua numero differunt. Sic Petrus, Paulus differunt numero, ergo & individualiter.

Quid est distinctio Subjecti?

Distinctio subjecti est eorum, qua subjectis differunt. Sic albedo parietis, & albedo in facie hominis differunt subjectis.

Quid est distinctio Accidentis?

Accidentis distinctio est Subjectorum, qua accidentibus differunt. Sic doctor ab indocto, Dives à paupere differunt accidentibus.

DE OPPOSITIONE.

Quid est Oppositio?

Oppositio est terminorum simplicium pugna inter se, ut Religio Deum colit, superstitio violat.

Quotuplicia sunt opposita?

Oppositionis species sunt quinque: vel enim

enim oppositio est Contradictoria; vel Privativa; vel disparata; vel contraria; vel Relative opposita.

Quid est contradictoria oppositio?

Contradictoria oppositio est eorum terminorum simplicium, quorum unus ponitur in rerum natura, alter non ponitur, sed removetur, ut: Homo non homo, Ens non Ens.

Qui sunt hic Canones notandi?

1. *Contradictio est omnium oppositionum maxima & fortissima.*
2. *Omnis contradictio est sine medio, quia inter esse & non esse non datur tertium.*

Quid vocas contradictionem in adjecto?

Contradictio in adjecto est, cum aliquid adicitur priori termino, quod ejus natura

*naturam plane evertit: Germanice
Ein Hölkern Schereyfen. Talis contradictio in
adjecto est sacrificium missæ reale ac verum, & tamen in-
cruentum; quod enim incruentum est non est verum sa-
crificium. Sic Canonici irregulares: Cadaver vivum.*

Quid est privativa oppositio?

*Privativa oppositio est eorum, quo-
rum alterum est positivum tantum, al-
terum vero positivi illius privatio, ut,
Lux & tenebra. Vita & mors.*

Quotuplex est privatio?

*Alia privatio est totalis & perfe-
cta, alia partialis & imperfecta.*

*Privatio totalis & perfecta est, qua
& habitum, & potentiam plane auferit.
V. G. Si alicui oculus effodiatur, ita ut humor cristallinus
effluat, & nervi optici ledantur, est privatio totalis.*

*Privatio partialis est, qua tollit ac-
tum ex accidenti quodam, ut, Si quis ad
tempus non possit videre propter fluxum in oculis. Hic
tollitur actus videndi, potentia manet; & cessante fluxu
potentia iterum videndi in actum traducitur.*

Qui

Qui sunt Canones privationis?

*1. Privatio requirit subjectum cer-
tum, capax habitus, & tempus, quo ha-
bitus per naturam adesse potest. Sic catu-
lum non dicimus cæcum ante nonum diem, quia ante hoc
tempus per naturam catuli videre non debent. Sic eden-
tulium non dicimus recens natum infantem, utpote cui per
naturam dentes prodire nondum potuerunt.*

*2. A privatione imperfecta datur
regressus ad habitum, non vero à pri-
vatione perfecta & totali. Valed canon
naturaliter, non v. supernaturaliter. In resurrectione
mortuorum, dabitur supernaturaliter regressus à priva-
tionè perfecta ad habitum: corpora n. nostra in cinerem
resoluta eadem numero prodibunt.*

Quid vocas disparatam op- positionem?

*Disparata oppositio est duarum spe-
cierum sibi invicem oppositarum, atque
per differentias oppositas à se divisarum,
ut, Homo & lapis, homo & brutum.*

Quis hic Canon notandus?

Dispa

Disparata, quatenus disparata sunt, nunquam conveniunt uni subjecto, ut, Hominem & lupum esse nunquam conveniet uni subjecto.

Quid vocas contrariam oppositionem?

Contraria oppositio est eorum, quæ sub eodem genere posita, maxime inter se distant, & eidem susceptivo subjecto insunt, ita ut se mutuo expellere possint, ut calor & frigus, albedo & nigredo.

Quotuplicia sunt contraria?

Alia sunt Immediata, alia Mediatæ.

Contraria Immediata sunt, quæ medium non admittunt, ut, Humiditas & siccitas, pax & bellum: virtus & vitium: fidelis & infidelis: sanus & aeger.

Contraria verò Mediatæ sunt, inter quæ aliquod medium est participans de utroque extremorum. Sic calor & frigus sunt contraria mediatæ; quia inter calo-

calorem & frigus est medium tepor, qui partim est calor, partim frigus. Sic albedo & nigredo sunt contraria mediatæ: dantur enim multi colores medii, qui partim nigri sunt, partim albi, ut, rubedo, flavedo, color purpureus & viridis.

Qui sunt hic Canones notandi?

1. Contrariorum utrumque membrum debet esse reale & positivum. Quæ notæ contraria differunt à contradictione & privativis, in quibus alterum membrum semper est negativum.

2. Contrariorum sunt contrariæ causæ, effectus & proprietates. At inquis: Contrariorum eadem est doctrina, ratio & scientia? Respondeo: Valet canon dupliciter: 1. Ratione cognitionis: qui enim novit quid virtus sit, facile intelliget quid vitium sit. 2. Quoad genus & subjectum sive remotum sive propinquum, quod idem habent. Sic nigredo & albedo habent idem genus colorem, idem subjectum parietem, &c. Hactenus ergo va-

let canon vulgatus: alioqui quoad naturam, causas, effectus & proprietates contrariorum diversa est ratio. Hæc de Contrariis.

Quid vocas deniquè Oppositionem Relativam?

Relativa Oppositio est eorum, ubi correlatum de relato negatur, ut, Quicumque est Dominus, non est servus: quicumque est Præceptor, non est discipulus: quicumque est Pater, non est Filius.

Atquè hæcenus per DEI gratiam de libro primo.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Caput I.

DE ENVNCIATIONE.

Quot sunt principia & partes Enuntiationis?

Dua: Nomen sive Subjectum & Verbum sive Prædicatum. Hæc autem partes dicuntur materiale propositionis sive Enuntiationis: harum autem partium inter se unio ac dispositio mediante vinculo sive copulâ Est dicitur formale.

Quid vocas Prædicatum?

Prædicatum est, quod de subjecto vel affirmatur vel negatur, ut, Homo est animal: Hic animal de subjecto homine prædicatur.

Quid vocas Subjectum?

Subjectum est, de quo prædicatum

G 2

affir.

affirmatur vel negatur, ut in priori exemplo Homo est Subiectum. Notabis autem saepe in autoribus transpositionem subiecti fieri. V. G. Nobilitas sola est atque unica virtus. Hic virtus est Subiectum transpositum in hac oratione. Sic Principis est virtus maxima nosse suos. Vbi nosse suos est subiectum transpositum in hac oratione. Sic in principio erat Verbum.

Estne copula Est in Enunciatione semper expressa?

Copula Est non semper actu sive expresse in enunciatione ponitur: sed saepissime potestate & implicite. V. G. Sol movetur: Animal sentit. In his omnibus copula Est involvitur, ita ut sensus sit: animal est sentiens: sol est mobilis, &c.

Quid ergo vocas Enunciationem?

Enunciatio est sententia, qua à aliquo de altero affirmatur vel negatur.

Caput II.

DE

**DE DIVISIONIBVS
ENUNCIATIONVM.**

**Quomodo dividuntur Enun-
ciationes?**

Dividuntur commodissime vel secundum Substantiam, vel secundum Quantitatem vel Qualitatem.

**Quomodo dividuntur secun-
dum Substantiam?**

*Secundum Substantiam alia Enun-
ciatio vocatur: Affirmativa & Nega-
tiva. 2. Finita vel Infinita. 3. Ne-
cessaria vel Contingens vel Impossi-
bilis.*

**Quid est Enuntio Affirmativa?
Quid negativa?**

*Affirmativa Enunciatio est, cujus
pradicatum de subiecto affirmatur, ut, ho-
mo est doctus, bipes, &c. Negativa est, cujus
pradi-*

G 3

prædicatum de subjecto removetur, ut, homo non est asinus: lapis non est homo.

Qui sunt hîc Canones notandi?

1. Ut propositio sit negativa necesse est particulam negativam vel toti propositioni præmitti, ut, Nullus Monachus est verè religiosus: vel copula $\&$ verbo adjectivo habenti vim copulandi immediate præponi, ut, Papa non est Petri successor. Bona opera non justificant. Proinde si particula negativa vel non fuerit integræ enuntiationi præposita: vel particule Est non præfixa, sed postposita: propositio erit non negativa: sed infinita ut mox dicemus.

2. Omnis vera negatio est vera propter veram affirmationem. Nequè enim recte dixeris: hominem non esse animal irrationale, nisi verum esset, hominem esse animal rationale. Nequè recte dixeris: opera non justificare, nisi verum esset, solam fidem justificare.

Quid est Enuntiatio Finita?

Quid Infinita?

Finita Enuntiatio est, quæ utrumq; termini-

terminum habet finitum, ut, homo est animal, doctus, &c. Infinita est, quæ utrumq; terminum habet infinitum, ut, Non homo currit: non homo non currit. Diligentissimè proinde Studiosi Logices videbunt, ut accuratè discernant Enuntiationes infinitas à negativis.

Quid est Enuntiatio Necessaria, Contingens & Impossibilis?

Necessaria est, quæ ita est vera, ut falsa esse non possit, ut, DEus est justus: homo est animal &c. Contingens est quæ vera vel falsa esse potest: ut, homo est Grammaticus, Musicus &c. Impossibilis est, quæ ita falsa est, ut nunquam vera esse possit, ut, homo est asinus, lapis: DEus est autor peccati. Hæ enuntiationes differunt à Modalibus, de quibus mox agemus. Illæ enim à præfixis modis dicuntur Modales; hæ verò à materia vel necessaria, vel contingenti, vel impossibili ita dicuntur. Prædicatum enim in his vel necessario vel contingenter cum suo subjecto coheret. Hæc de Divisionibus enuntiationum secundum Substantiam.

Quomodo dividitur Enuntiatio secundum Quantitatem?

G 4

Enun-

Enunciatio secundum Quantitatem vel est Simplex sive Categorica, & Composita sive Hypothetica: vel Vniversalis, Particularis, Singularis, Indefinita aut Definita.

Quid Simplex? quid Composita
Enunciatio?

Simplex sive Categorica Enunciatio est, quae uno Subjecto & predicato constat, & rem disertè enunciat, ut, homo est iustus, doctus &c.

Composita sive Hypothetica est, quae ex pluribus simplicibus constat, estque quadruplex: Copulativa, Conditionalis, Disiunctiva, & Discretiva.

Copulativa est, ubi oratio copulatur per particulam Et: Et prodesse volunt, & delectare Poëta. Conditionalis est cui praefigitur particula Si, ut, si asinus volat, habet pennas. Si caelum digito tetigeris, habebis filiam meam uxorem. Disiunctiva aut Alter-
nativa

nativa est, quae disjungitur per particulam Aut. Socrates aut est homo, aut brutum: aut est calidum, aut frigidum. Discretiva est, quae constat ex particulis discretivis: quales sunt: quamvis, tamen: non hoc, sed illud. Non formosus eras, sed erat facundus Ulysses.

Qui sunt hinc Canones observandi?

1. Ad veritatem copulativa utriusque partis veritas requiritur: & si una pars falsa est, tota propositio falsa est. V. G. Et fide iustificamur & operibus. Tota propositio est falsa, quia una pars falsa est.

2. Conditionalis habet duas partes, quarum prior dicitur Antecedens, posterior Consequens.

3. Conditionalis nihil ponit determinatè in esse, nisi ipsa conditio rationem consequentiae & coherentiae in se contineat. V. G. Si asinus volat, habet pennas. Hic habere pennas est causa & ratio volandi in asino. Nihil ergo valet ista Conditionalis: Si caelum digito tetigeris, habebis filiam meam uxorem: quia hinc nulla exprimitur ratio & causa, quare Consequens ad Antecedens sequatur. Ista
autem

autem Conditionalis rectè valet: Si secundum carnem vixeritis, moriemini: quia vita carnis est causa mortis spiritualis.

4. Conditionalis semper est revocanda ad simplicem & categoricam, ut ratio consequentiæ facilius appareat. V. G. Si asinus volat, habet pennas: sic reducitur: Omne volas habet pennas.

5. Conditionalis si debeat esse negativa, particula negans termino Si est præponenda, ut, Non si homo est æternus, etiam non est infinitus.

6. Partes in disjunctiva propositione non debent esse subordinata, sed simpliciter opposita. Non ergo vera est illa propositio: Aut animal est, aut brutum: Aut angelus est, aut diabolus: quia termini sunt subordinati.

7. Ad veritatem disjunctiva sufficit, si una pars insit & vera sit, ut, Aut movetur terra, aut est immobilis. Falsa autem si utraq; insit vel neutra, ut, Aut Pontifex Romanus est caput ecclesiæ, aut nullum est.

8. Ut disjunctiva propositio sit negans, particula negans voci Aut est præfigenda. Non aut homo est aut brutum. 9. Cum

9. Cum propositio disjunctiva est immediata, alterum membrum removeatur, & exclusiva propositioni equipollet, ut: Aut fide justificamur, aut operibus. Aut creator est, aut creatura.

10. Ad veritatem discretiva requiritur utriusque simul partis veritas. Ergo falsa erit discretiva, cum una pars est falsa, ut, errant quidem homines, sed laici.

Quid Universalis? quid Particularis & cætera Enunciationes?

Universalis est, in qua signum universale tam affirmans quam negans præponitur subjecto, ut: Omnes homines sunt mortales: Nullus homo est lapsus.

Particularis in qua particulare signum præponitur subjecto, ut: Quidam homines sunt docti, quidam sunt divites, iusti &c.

Singularis est, cum subjectum est nomen proprium, ut: Socrates est sapiens. Aristides est justus.

Indefinita propositio est, cum vocabulum

bulum commune sine signo expressum est subjectum, ut: Homo est animal rationale: virtus est habitus animi bonus. Notabis autem Indefinitam equipollere universali, quando vel genus de specie, vel species de individuo, differentia, ut et proprium quarti modi de specie predicantur, ut homo est animal: Petrus est homo: homo est rationalis: homo est risibilis. Particulari vero quando predicatum contingenter cum subjecto coheret, et accidens commune de eo predicatur, ut: Crentenses sunt mēdaces: Hispani sunt crudeles: Itali leves &c.

Qui sunt hīc Canones notandi?

1. *Signum universale subjecto, non autem predicato debet preponi. Ergo rectè dicitur: Omnis homo est animal: falso autem: Homo est omne animal. Sequeretur enim bruta non fore animalia.*
2. *Etiam Adverbia universales efficiunt enunciationes, ut: Nunquam bella pius, nunquam discrimina desunt. Hæc de Enunciationibus secundum Quantitatem.*

Quomodo dividuntur Enunciationes secundum Qualitatem?

Secundū Qualitatem alia Enunciatio est Vera vel Falsa: alia Modalis sive Modificata.

Quid

Quid Enunciatio Vera? quid Falsa?

Enunciatio Vera est assertio cum re consentiens, ut: Cælum movetur; gallina est bipes &c.

Falsa est oratio à re dissentiens, ut: Duo sunt Dii: homo habes tres oculos.

Quæ sunt Modales Enunciationes?

Modales sunt triplices: Exclusiva, Exceptiva, & Restrictiva.

Quid Modalis Exclusiva?

Exclusiva est, quæ constat particulis exclusivis, quales sunt: tantum, solum, duntaxat, unicè, præcisè: & consideratur ista Exclusiva tam ex parte subjecti, quam prædicati. Subjecti, ut: solus DEVS est æternus: sola fides justificat: solum meritum Christi est sufficiens λύτρον pro peccatis. Prædicati, ut: Poëtis tantum licet mentiri: Historicis tantum licet vera loqui.

Quis hīc Canon notandus?

Exclu-

Exclusio subjecti arcet à subjecto omne id, cui non competit subjectum, ut: Solus DEUS est æternus. Ergo quicquid non est DEUS, non est æternus.

Quid Modalis Exceptiva?

Exceptiva est qua constat vocibus exceptivis, quales sunt: nisi, præter, præterquam, ut: Ad quem confugiam nisi ad te DEVS. Præter DEUM nemo beatus.

Qui sunt hæc Canones notandi?

1. *Subjectum excipiendum debet voci excipienti esse subordinatum & cognatum, non oppositum. Non ergo rectè dices: Omnis homo præter bestiam est risibilis. Ratio est: quia bestia opponitur homini, nec ei est cognata.*

2. *Omne exceptum sit angustius eo, à quo excipitur. Non ergo rectè dices: Aliquis homo præter Iudam est electus.*

Quid Modalis Restrictiva?

Restrictiva est, qua constat particulis limitantibus & restringentibus qualibus

les sunt: qua quatenus, hoc respectu, secundum hanc considerationem, ut, Homo quatenus peccator factus est mortalis. Monachus quatenus Monachus non est religiosus. Hæc de divisione Enunciationum.

DE AFFECTIONIBVS ENUNCIATIONVM.

Quot sunt Affectiones Enunciationum?

Sunt tres: Equipollentia, Conuersio & Oppositio.

Quid vocas Equipollentiam Enunciationum?

Equipollentia est Enunciationum verbus inter se pignantium conuenientia in sensu & artificiosa reconciliatio.

Recita versus de Equipollentia?

Non omnis, quidam: non omnis non, quasi nullus.

Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.

Non aliquis, nullus: non quidam non valet omnis.

Non alter, neuter: neuter non præstat uterquè.

Ergo equipollent quando dico: Non aliquis homo est bos,

& Nul-

Nullus homo est bos. Item: Non omnis non homo est animal irrationale, & Nullus homo est animal irrationale. Item: Nullus non homo est animal, & Omnis homo est animal.

DE CONVERSIONE.

Quid est Conversio?

Conversio est propositionum duarum consensus beneficio permutationis & transpositionis elicita. Notabis vero propositionem nondum conversam dici à Logicis Convertendam: illam verò, quæ alteram debet convertere dici Convertentem.

Quotuplex est Conversio?

Triples: Conversio simplex, Conversio per accidens, & Conversio per contrapositionem, secundum hoc distichon:

FECI simpliciter convertitur: EVA per acci:
ASTO per contra: sic fit conversio tota.

Ubi

Ubi quidem tres istæ voces FECI, EVA, ASTO continent 4. vocales, quarum A signifiat universalem affirmantem: E universalem negantem: I particularem affirmantem O particularem negantem.

Quid est Conversio Simplex?

Conversio Simplex est, cum retentâ eadem quantitate & qualitate ex subiecto fit predicatum, & ex predicato subiectum: habetq; locum primario circa universalem negativam, & particularem affirmativam: secundario verò ratione materia etiam in universali affirmante, ut: Nullus cometa est stella: & nulla stella est cometa. Item: Nullus lapis est animal: & Nullum animal est lapis. Sic Quidam docti sunt sapientes: & Quidam sapientes sunt docti. Item in universali affirmante, ut: Omnis homo est rationalis: & Omne rationale est homo.

Quid est Conversio per accidens?

Quando in convertenda propositio-
ne retentâ qualitate sola quantitas mu-

H

tatur:

tatur : i. e. ex universali affirmante fit particularis affirmans permutatis extremis : habetque locum in universali affirmante, ubi predicatum latius patet suo subjecto, ut: Omnis homo est animal : & Quidam animal est homo.

Quid est Conversio per contrapositionem ?

Quando predicati & subjecti mutua est transpositio manente quantitate sed mutat à qualitate circa universalem affirmantem. Adduntur enim duæ negationes in altera propositione consequente, ut : Omnis stella est corpus perpetuum. E. Quicquid non est corpus perpetuum non est stella. Solus DEUS est infinitus. E. Quicquid non est infinitum, non est DEUS. Sic Paul. Rom. 8. Qui spiritu DEI aguntur, hi sunt filii DEI. E. Qui spiritum DEI non habent, non sunt ejus filii.

Qui sunt canones de Conversione ?

I. Convertenda habeat connexionem propriam sine ambiguitate intellectam. Non ergo convertuntur : Herodes est vulpes : & Vulpes est Herodes. Item : Nero est leo : & Leo est Nero.

2. Totum

2. Totum Subjectum convertenda fit at predicatum convertentis, non mutilatum, non truncatum. Non ergo valet: Omne animal rationale est disciplinæ capax. E. Omne disciplinæ capax est animal. Omittitur enim Rationale.

3. Casus obliqui inter convertendum rectificentur, ut : Aliquis homo est in horto ; non sic convertitur : E. Aliquis hortus est in homine : sed ita : E. Aliquis existens in horto est homo.

4. Tempus præteritum aut futurum sensu exigente rectificetur per præsens, ut: Omnis Præceptor fuit discipulus : non convertitur per hanc : E. Quidam qui fuit discipulus, fuit Præceptor : sed per istam : E. Quidam qui fuit discipulus est Præceptor.

5. Conversio in modalibus minus est frequens in disputando : ideoque peculiaribus præceptis non indiget.

DE OPPOSITIONE.

Quid Oppositio est ?

Oppositio est duarum propositionum pugna in affirmando & negando.

Quæ sunt leges bonæ Oppositionis ?

H 2

Sunt

Sunt quatuor: 1. In vera oppositio-
 ne notanda lex τὸ αὐτὸ, h. e. ut in utraque
 propositione opposita idem sit subjectum,
 Et idem Prædicatum. Idcirco hæ non sunt op-
 positæ: Iulianus fuit Apostata: Constantinus non fuit A-
 postata. Item: Cælum est rotundum: Terra non est
 quadrata. Item: Constantinus fuit Imperator: Con-
 stantinus non fuit apostata.

2. In vera oppositione notanda lex
 κατὰ τὸ αὐτὸ, sive πρὸς τὸ αὐτὸ, h. e. ut utra-
 que oppositio intelligatur respectu ejus-
 dem vel Subjecti, vel cause, vel partis,
 vel objecti. Sic ergo non opponuntur hæ: Chris-
 tus fuit prior Abrahamo: Christus non fuit prior A-
 brahamo. Item: Homo est mortalis: Homo non est mor-
 talis. Item: Æthiops est albus: Æthiops non est albus.
 Item: Vetus testamentum est abrogatum, nempe quoad
 legem ceremonialem: Vetus testamentum non est abrogat-
 um, nempe quoad legem moralem.

3. Notanda lex ἀσυνίτως, h. e. ut sub-
 jectum Et prædicatum utriusque propo-
 sitionis eodem modo sine ulla ambigui-
 tate intelligatur. Ideo hæ non sunt oppositæ:
 Diaboli credunt: Diaboli non credunt. Quia prædica-
 tum

tum est ambiguum. Diaboli enim credunt fide historica:
 Diaboli non credunt fide salvifica. Item: Cancer est mor-
 bus: Cancer non est morbus. Hic aliter subjectum sumitur
 in priore propositione, aliter in posteriore.

4. Notanda lex, ἢ αὐτὸ ἢ ἄλλως, ut utraq;
 propositio intelligatur de eisdem circum-
 stantiis, sive de eodem loco Et tempore.
 Ideo hæ non pugnant: Pompejus est victor: Pompejus non
 est victor: quia intelliguntur de diverso tempore, quo Pom-
 pejus vicit Et victus est. Sic non valet illa Iesuitarum: Chri-
 stus multa discipulis dicenda habuit, que non poterant
 portare. E. Non omnia ad salutem necessaria scripserunt.
 Deest enim hic lex ejusdem temporis. Nam antequam ac-
 cepissent discipuli dona Spiritus S., non poterant assequi
 mysteria regni cælorum; postquam autem acceperunt, o-
 mnia intellexerunt, Et quæcunque ad salutem nobis ne-
 cessaria sunt, scripserunt.

Quotuplex est Oppositio?

Oppositio est vel Contradictoria,
 vel Contraria.

Contradictoria oppositio est, quæ pu-
 gnat quantitate Et qualitate. Estque
 vel Principalis vel Minus principalis.

Principalis est inter universalem af-

H 3 firmam.

firmantem & particularem negantem. Item inter particularem affirmantem & universalem negantem, V. G. Omnis homo est animal: Quidam homo non est animal. Item: Nullus homo est animal: & Quidam homo est animal.

Minus principalis est inter duas singulares & inter duas indefinitas materiae necessaria, ut: Roscius est parricida: Roscius non est parricida. Item: Sol movetur: Sol non movetur. Honos alit artes: Honos non alit artes.

Quid oppositio Contraria?

Oppositio Contraria est pugna inter duas propositiones universales, quarum altera est affirmans, altera negans eorundem extremorum sine ambiguitate intellectorum, ut: Omnis virtus est habitus: Nulla virtus est habitus. Omnis homo est fidelis: Nullus homo est fidelis. Notandum cum materia est necessaria, tum duae contrariae equipollent contradictoriae, ut: Omnis homo est rationalis: Nullus homo est rationalis.

Qui sunt hic Canones notandi?

I. Contrarietas admittit medium:

non

non autem Contradictio, quae est aeterna disjunctionis: & impossibile est utramque ejus partem esse simul veram, vel simul falsam, V. G.: Homo est: Homo non est. Animal est: Animal non est. Sed in Contrarietate datur medium, ut: Omnis homo est doctus: Nullus homo est doctus. Datur hic medium: Quidam homo est doctus: Quidam homo non est doctus.

2. Duae Contraria nunquam possunt esse simul verae, ut: Omnis homo est lapis: Nullus homo est lapis. At in materia contingente possunt esse simul falsa, ut: Omnis homo est doctus: Nullus homo est doctus. Item: Omnis homo est fuscus: Nullus homo est fuscus.

Quid sentis de Oppositione Subcontraria?

Logici Subcontrarias oppositiones vocant duas propositiones particulares qualitate pugnantes, ut: Quidam homo est doctus: Quidam homo non est doctus. Verum non est haec legitima oppositionis species: quia deest lex τὸ αὐτὸ, & subiectum est diversum ac vagum. Sunt enim diversi homines, de quibus dicitur: Quidam homo est doctus: Sunt etiam alii, de quibus dicitur: Quidam non sunt docti.

Hactenus de libro Secundo.

LIBER

Definitio. Syllogismus & oratio, in eâ positus potest

videtur
tam
diversit
ab his
Cuius par
vita hinc
ne non
instituta
quod
ad a
var. hinc
Arist. 1.
s. c. 1.

LIBER TERTIVS.
DE SYLLOGISMO
FORMALITER CON-
SIDERATO.

Quotupliciter consideratur
Syllogismus?

Syllogismus consideratur vel gene-
raliter sine certa materia, vel Specialiter
in certis materiis, quæ Syllogismo con-
cluduntur. Sicut enim fabri duplex est
consideratio, alia de materia, alia de for-
ma: Sic in Syllogismis alia est materia,
alia forma. Materia est rerum sive
propositionum cumulus, quæ sunt causa
ejus conclusionis, de qua disputas: sed
Forma syllogismi est ipse ordo sive di-
spositio & connexio singularum parti-
um, & vocatur Bona consequentia.

Simi
4.

Mate-
ria.

Forma
Syllog.

Quotuplex est Syllogismus
consideratus?

Duplex:

Duplex: vel Perfectus, vel Imper-
fectus. Perfectus est dispositio trium
propositionum categoricarum ortarum
ex certa collocatione medi termini
cum terminis extremis.

Ex quibus partibus Syllogismus
constatur?

Syllogismi partes sunt vel Minores,
vel Majores. Minores sunt tres ter-
mini, ut Major, Minor & Medius.

Recita definitiones horum
terminorum?

Major terminus est, qui tantum po-
nitur in prima propositione, & postea
si prædicatum conclusionis.

Medius terminus est, qui hic ponitur
ante conclusionem, nec postea repetitur:
quia est causa conclusionis, & vincu-
lum duarum propositionum: & causa,
quare subjectum & prædicatum in affir-

Mate-
ria.

Med
us.

H 5

materia

Simi
li.

mativa conclusione junguntur, & in
negativa distrabuntur. Nam sicut a-
nima remota corpus non vivit: ita in
Syllogismo distracto medio nulla est
connexio majoris & minoris termini.

Minor terminus est, qui tantum in
secunda propositione ponitur, & postea
fit subjectum conclusionis.

Quot sunt partes Majores
in Syllogismo?

Due: Una Propositio Major dicta,
altera Minor. Major est, qua majorem
terminum cum medio continet, & pri-
mo loco in Syllogismo ponitur.

Minor est, qua minorem terminum
cum medio connexum habet, & secun-
dum in Syllogismo locum obtinet: dicitur
alias Assumptio. Egregie Melanthon
de propositionibus Syllogismi inquit:
Quicquid confirmatur aut refutatur, per aliquam causam
confirmatur aut refutatur: Eam causam cum primis po-
nimus.

nimus, necesse est unam propositionem constitui, que cau-
sam recitat, & quasi fundamentum est totius edificii.
Huic additur altera, que causam ad subjectum conclusio-
nis in prima figura hoc modo applicat: quia ostendit sub-
jecto majoris revera includi subjectum conclusionis. His
duabus propositionibus positis necesse est sequi conclusio-
nem.

Quid Sentis de Conclusionem, estne
pars Syllogismi?

Est. 1. Quia est pars definitionis
Syllogismi. 2. Quia differt a premis-
sis, & tamen totum ingreditur. 3. Quia
in ea vitium esse potest premisis recte
habentibus. Differt vero conclusio a
problemate sive quaestione, quod quaestio
per interrogationem efferatur, ut: Sintne
bona opera pars justificationis? Conclusio vero, quod ea
in Syllogismo inferatur.

Quid oritur ex trium terminorum
Legitima dispositione?

Ex tribus terminis legitime dispositis
Bona oritur Consequentia: non secus
atque Arithmetici datis tribus propor-
tiona-

trationalibus numeris quartum investi-
gant & ponunt, unde factum, ut Logi-
ca conclusionis illatio à computatione
Arithmetica *Συλλογισμὸς* indigiteretur.

Hæc autem dispositio partium Syllogismi legitima ex
sola Logica percipitur, quæ nihil aliud est quàm lumen,
quo iudicamus bonas & malas consequentias. Sicut enim
in oculis est naturalis vis, quæ discernimus lucem à tene-
bris, & ipsas colorum species distinguimus: ita Logica
est regula iudicii de Syllogismo, an dissentiatur ab aliquo
præcepto artis suæ.

Quia legitima dispositio Syllogismi
non potest fieri absque inventione medii termi-
ni: quænam sunt ergo præcepta
de ea tenenda?

*Doctrina de inventione medii ter-
mini duabus partibus absolvitur, qua-
rum prior materiam posterior formam
respicit Syllogismi.* Prior docet, unde, quomodo,
& qualia inveniendæ mediæ sint ad problemata Syllogi-
smo concludenda. Posterior quomodo, & in qua figurâ
quodvis problema concludatur.

Quænam præcepta de priore
tenenda?

1. Con-

1. Conclusio siue status controversiæ
ante omnia rectè formetur. Est enim ve-
luti principium, ex cuius consideratione tota mediæ ter-
mini inventio pendet. Itaque eâ malè constitutâ necesse
est totam mediæ termini inventionem sinistrè succedere.

2. Notetur an questio siue problema
sit universale, an particulare, an singu-
lare. Si enim fuerit singulare, non poteris jam ex quo-
vis loco argumentari, sed recurrendum tibi erit ad locos
externos, nempe testimonia auctorum.

3. Medium invenitur diducto utro-
que extremo, i. e. subjecto & predicato
per loca inventionis Topicæ. Cum enim tam
subjectum quàm predicatum habeat sua genera, causas, ef-
fectus, accidentia, cognata & opposita: ideò ex his omni-
bus mediæ terminus invenietur, & copia argumentorum
magna parabitur. Hinc vulgati illi Canones Logici:
Omne medium debet esse clarius, non
obscurius questione propositâ. Item:
Omne medium debet esse cognatum &
homogeneum questioni propositâ non
alienum, non heterogeneum. Quæ enim
realiter differunt, non possunt affirmando componi, ne quæ
de se invicem prædicari.

Quia

**Quia jam cognovi generales Canones
medii termini inveniendi : dic ergo ex quibus
locis medius terminus eruatur ?**

*Medius terminus desumitur ex natura utriusque extre-
mi, h. e. subiecti & predicati conclusionis : quod ut-
rumque cum habeat sua genera, causas, effectus, accidentia,
cognata & opposita : ideo ex his omnibus medius terminus
inuenitur, & copia argumentorum magna parabitur. e. g. sit
questio : An homo est corpus ? Medius terminus primò
inuenitur ex parte subiecti, & quidem ex eius genere, quod est
animal, & fiet Syllogismus talis : Omne animal est corpus.
Omnis homo est animal. E. Omnis homo est corpus. Alterum
argumentum inuenitur ex proprietate subiecti, quæ est Esse
risibilem & disciplinæ capacem, ut : Quicquid est risibile &
disciplinæ capax id est corpus. Omnis homo est risibile &
disciplinæ capax. E. Omnis homo est corpus. Tertium desumitur
ex partibus, quæ sunt : Constare ex corpore & anima rationali,
& fiet talis Syllogismus : Quicquid constat ex corpore &
anima rationali, illud est corpus. Omnis homo constat & c.
Sic quoque ex parte predicati multi medii termini inueniri
possunt, & 1. quidem ex definitione, nempe Substantia habens
trinam dimensionem, unæ fiet Syllogismus : Omnis substantia
habens trinam dimensionem est corpus. Homo est substantia
habens trinam dimensionem. E. Homo est corpus. Sic ex
proprietate corporis, nempe Esse sensibile & esse in loco :
Quicquid est sensibile & est in loco, id est corpus. Homo est
sensibilis*

*sibilis & est in loco. E. Homo est corpus. Si ex disparatis :
Quicquid non est spiritus est corpus. Homo non est spiritus.
E. Homo est corpus.*

**Quia jam cognovi unde, quomodo,
& qualia invenienda media sunt : dic ergo jam Canones,
quibus quodque thema in certo modo & figura concludi possit ?**

**1. Si aliquod oblatum problema
universaliter & affirmativè concludere
velis : tum tantum concludes in prima figura in modo
Barbara : ita ut medius terminus latior sit subiecto
problematis : angustior verò predicato ejus.**

**2. Si universaliter negativè concludere
velis, tunc tres se offerunt modi,
nempe Celarent prima figura : Cesare
& Camestres secunda : Pro hac verò con-
sione nota sequentes duos canones :**

**1. Si medius terminus ex natura subiecti sumtus est, &
latior est subiecto problematis, angustior verò predicato
ejus, tum concluditur in Celarent & Cesare : hoc tamen
observato, ut major Syllogismi in Celarent primæ figuræ
simpliciter vertatur, tum directè quoque concludetur in
Cesare secundæ.**

**2. Sin vero ex predicati natura medius terminus de-
promitur, tum in Celarent & Cesare medium loco majoris co-**

ris copulo cum ipso subjecto questionis: in Camestres vero medium jungo cum predicato questionis, V. G. An homo sit lapis? Medii ex parte subjecti sunt: Animal, rationale, risibile: Ex parte predicati vero sunt: substantia inanimata, sensus expertus &c.

3. Si affirmative & particulariter concludere velis, tunc se quatuor offerunt modi, nempe Darri primæ figuræ: Darapti verò, Disamis, & Datisi tertiæ figuræ. Pro tali ergo conclusione sequentes nota canones.

1. Si medius terminus cum predicato questionis universaliter coheret: cum subjecto verò particulariter: tunc concluditur secundum dispositionem primæ figuræ in Darri: & in Datisi tertiæ figuræ, si tantum minor simpliciter vertatur.

2. Si medius terminus cum subjecto & predicato questionis universaliter coheret, tunc concluditur in Darapti.

3. Sin vero cum predicato questionis particulariter: cum subjecto verò universaliter, tunc in Disamis concluditur.

4. Denique si velis particulariter negativè concludere observabis sequentes tres canones:

1. Si medium particulariter affirmativè cum subjecto coheret, de predicato verò universaliter negatur, tunc concluditur

concluditur Syllogismus in tribus modis, Ferio primæ figuræ: Festino secundæ: & Ferison tertiæ: ita tamen ut major in Ferio simpliciter vertatur, & tunc directè concludet in Festino secundæ: Item ut minor in Ferio simpliciter vertatur, & directè concludet in Ferison tertiæ.

2. Si medium cum subjecto universaliter affirmativè coheret: de predicato verò universaliter negatur, tunc concluditur in Felapton tertiæ figuræ.

3. Si medius terminus de predicato questionis universaliter affirmatur, de subjecto verò particulariter negatur, tunc concluditur in Baroco secundæ.

Qui Syllogismus in Baroco ita ad Bocardo tertiæ reducit, si minor simpliciter vertatur, & ponatur loco majoris: contra si item major simpliciter vertatur, & ponatur loco minoris: sicut hæc omnia præcepta suis exemplis ad oculum demonstrabuntur.

Diligenter verò hoc loco notabis, non tradi aut supeditari in Logica res ipsas & argumenta, sed viam tantum ostendi & modum, quomodo in aliis disciplinis argumenta quæri, & Logicè conjungi ac concludi possint. Itaque qui hæc præcepta Logica tantum discit reliquis Philosophiæ partibus neglectis, is nihil magis fuerit consecutus, quam qui cultrum emerit destitutus materiis, quæ scindi possunt. Hactenus de Inventione.

Qui sunt Syllogismi Canones generales?

1. Canon generalis omnium Syllogismorum

I

gismorum

gismorum est Dictum de omni & nullo.

Dicitur autem Dictum de omni, quando nihil potest sumi sub subjecto majoris, de quo non dicatur predicatum majoris.

Sic Dictum de nullo est, quando nihil sub subjecto majoris potest sumi, à quo non removeatur predicatum. Habet enim medius terminus magnam similitudinem cum norma, qua Architectus explorat duarum columnarum inter se equalitatem & inequalitatem.

Cum enim videt normam duabus columnis congruere, eaque adeo convenire in una norma, concludit, duas columnas etiam inter se esse æquales. Sed cum animadvertit normam suam uni columnæ æqualem esse, alteri non esse, concludit duas columnas etiam inter se æquales non esse. Similiter se res habet in Syllogismo, ubi cum medius terminus utriusque extremo congruit, ita ut possit de iis affirmari, etiam extrema de se mutuo possunt affirmari: cum vero de uno extremorum affirmatur, de altero negatur, concluditur etiam extrema de se affirmari non posse. Ca-
terum

terum ex his principiis Dicitur de omni & dicitur de nullo dependent alii 4. Canones Logici:

1. In prima figura major debet esse universalis, non particularis.
2. In prima figura minor debet esse affirmans, non negans.
3. Ex puris particularibus nihil sequitur.
4. Ex puris negativis nihil sequitur.

2. Conclusio sequitur partem detentorem. Si enim alterutra præmissarum particularis sit, tum etiam Conclusio debet esse: si negans, tum etiam Conclusio est negans. U. G. Nulli lascivi sunt ferendi in Repub. Quidam poëtae sunt lascivi. E. nulli poëtae sunt ferendi in Repub. Omne animal est corpus. Quædam substantia est animal. E. Quædam substantia est corpus. Item: Nullus homo est lapis. Petrus est homo. E. Petrus non est lapis.

3. Non sit plus in conclusione, quam in præmissis, i. e. neque alia conclusio, quam quæ ex præmissis sequitur, inferatur: neque aliud quippiam conclusioni attextatur, quod in præmissis non continebatur vel actu vel potestate: ut:

Omnis Magistratus Politicus debet vi corporali coherere contumaces. Ille est Magistratus. E. debet vi corporali coherere contumaces, ut seditiosos rusticos, Clodius &c. Sic: Peccata non sunt à DEO. In venditione Iosephi multa concurrerunt peccata. E. venditio illa non fuit à DEO. Alia inferitur conclusio: hoc enim tantum sequitur: E. peccata illa, quæ concurrerunt cum venditione, non fuerunt à DEO. Sic: Inutilia non sunt discenda. In Philosophia multa sunt inutilia. E. Philosophia non est discenda. Male concluditur: sic enim debebat in ferri. E. Illa quæ sunt inutilia in Philosophia non sunt discenda.

4. Medius terminus conclusionem ingredi non debet, ut: Omne animal est substantia. Omnis homo est animal. E. Omnis homo animal est substantia. Ratio canonis est: Quod efficiens non sit pars effecti, sicut aurifaber non est pars poculi à se fabricati. Sic medius terminus etiam est efficiens conclusionis.

5. In Syllogismo non sint quatuor termini. Sunt autem 4. termini cum vel duo, i. e. vocibus & loquendi formæ discrepantes termini assumuntur: vel cum una quidem & eadem vox assumitur, quæ est ambigua. Exemplum prioris: Omnis Magistratus Politicus jus habet gladii. Petrus est Apostolus. E. Petrus jus habet gladii. Hic duo medii termini sunt Magistratus Politicus & Apostolus. Exemplum posterioris: Nullus liber est servus. Christiani omnes sunt liberi. E. nulli Christiani

Christiani sunt servi. Nego consequentiam: quia est ambiguitas in voce libertatis, quæ significat in maiore libertatem Politicam: in minore Spiritualem, quæ est liberatio à peccato. Musici curant plectrum non sceptrum. Ptolemæus est rex. E. Asinus est animal quadrupes. Menedemus est asinus. E. est animal quadrupes.

6. Non valet consequentia mutato genere predicationis, i. e. cum major est propria, minor impropria, & contrà: Item cum commiscuntur predicationes primarum & secundarum notionum, ut: Vulpes est bestia quadrupes. Herodes est vulpes. E. Est bestia quadrupes. Item: Mus rodit caseum. Mus est monosyllabum. E. Monosyllabum rodit caseum. Sic: Genus est Logica notio. Animal est genus. E. Animal est Logica notio. Vbiq̄ est adverbium. DEus est ubiq̄. E. DEus est adverbium.

7. In Syllogismo interdum ratione forma ex falsis præmissis vera conclusio colligitur: sed ex veris præmissis falsam conclusionem colligi impossibile est. Accidit autem falsis præmissis, quod inde vera colligantur nempe propter materiam, ut: Omnis lapis est animal. Omnis homo est lapis. E. Omnis homo est animal.

8. Ex puris negatiuis nihil sequitur. Nullus equus est rationalis. Nullus homo est equus. E. Nullus homo est rationalis.

9. Ex puris particularibus similiter nihil sequitur. Semper enim medius terminus coherere debet cum uno extremorum universaliter. Hic canon aliter ita explicari solet: A non distributo ad distributum non valet consequentia. i. e. cum aliquid in minore sumitur extra verum subjectum majoris. Vocant enim Distributa universaliter posita, ut spargi in omnia inferiora possint: Non distributa vocant particularia, V. G. Aulici fiunt divites. Ego ero aulicus. E. ego ero dives. Sic: Quidam homo est dives. Quidam homo est doctus. E. Quidam docti sunt divites. Item: Omnis eclipsis lune fit in oppositione. Singulis mensibus fit oppositio solis & lune. E. singulis mensibus fit eclipsis. Hic minor loquitur de multis oppositionibus, de quibus major non loquitur. Quidam homines sunt Christiani. Quidam homines sunt Turcæ. E. quidam Turcæ sunt Christiani.

10. Termini abstracti non miscantur cum concretis. V. G. Scientia est qualitas. Socrates est sciens. E. Socrates est qualitas. Nulla ægritudo

gritudo potest esse sanitas. Socrates est æger. E. Socrates non potest esse sanus.

11. Ex uno Syllogismo rectè disposito possunt plures colligi conclusiones: quod fit tripliciter:

1. Per consequentiam, quando id statim conclusioni additur, quod ex ea loco alterutrinus præmissarum posita firmiter probari potest. V. G. Quicquid sentit est animal. Homo sentit. E. Homo est animal, & per Consequens Homo movetur.

2. Per propositionum conversionem. Præmissæ enim inferentes conversam inferunt & convertentem, & contra. V. G. Quicquid est æternum, id est infinitum. Solus DEUS est æternus. B. Solus DEUS est infinitus: Retento eodem medio infero etiam hunc per Contrapositionem: E, Quicquid non est infinitum, non est DEUS.

3. Per conclusionem propositionis in propositionem. Qui enim probavit universalem affirmantem simul probavit particularem affirmantem: & qui universalem negantem probavit, etiam particularem negantem. Item: qui probavit veritatem universalem affirmantis, simul probavit falsitatem particula-

ris negantis : contra qui probavit veritatem particularis negantis, eadem opera probavit falsitatem universalis affirmantis.

12. *Questio & conclusio Syllogismi re & subjecto eadem sunt : differunt tamen ratione & habitudine quadam, nempe tanquam id quod inferri debet, & quod jam illatum est.*

13. *Interdum ex uno Syllogismo principali plures alii Prosyllogismi inferuntur, ut: Quicquid sentit est animal. Leo sentit. E. Leo est animal. Hinc infero ulterius: Quicquid est animal & sentit, id movetur. Leo est animal & sentit. E. Leo etiam movetur. Hic alter Syllogismus illatus ex priori dicitur Prosyllogismus. Et tales Prosyllogismi dantur multi.*

14. *Subjectum vel predicatum conclusionis debet esse in antecedentibus si-
ve premissis.* Non ergo valet illud Iesuiticum: Contra quemcunque non prevalet portæ inferorum, is est Monarcha. Sed contra Petram non prevalet portæ inferorum. E. Petrus est Monarcha. Sunt 4. termini: Subjectum enim conclusionis non est in premissis.

15. *Inter Subjectum & predicatum
sive*

sive majoris sive minoris propositionis debet esse coherentia vera. Non ergo iterum valet illud Iesuitarum: Quo crucifixo Christus crucifigitur, ille est monarcha. Sed Petrus est ille, quo crucifixo Christus crucifigitur. E. Petrus est Monarcha. Respondeo Major non valet: quia nulla est coherentia inter subjectum & predicatum majoris. Hac de canonibus generalibus Syllogismorum.

Quot sunt Figuræ Syllogismorum?

Sunt tres: Prima, Secunda, Tertia.

Prima figura est, quando medius terminus in majore subicitur: in minore predicatur: fit quæ in hac figura processus à genere ad speciem: Modi ejus sunt quatuor, secundum versiculum.

BARBARA, CELARENT,
(primæ) DARII, FERIO quæ

Connexioni designandæ certæ quadam vocales literæ in modorum nominibus sunt destinatæ; Nam

Afferit A: negat E: stant universaliter ambe.
Afferit I: negat O: stant particulariter ambe.

B A R-	Omne animal est substantia.
B A-	Omnis homo est animal.
R A.	E. Omnis homo est substantia.
C E-	Nullam animal est lapis.
L A-	Omnis homo est animal.
R E N T.	E. Nullus homo est lapis.
D A-	Omne turpe est fugiendum.
R I-	Quædam voluptas est turpis.
I.	E. Quædam voluptas est fugienda.
F E-	Nulli verè credentes damnantur.
R I-	Quidam in Ecclesia sunt verè credentes.
O.	E. Quidam in Ecclesia non damnantur.

Qui sunt hujus figuræ Canones speciales ?

1. Major semper sit universalis.

Non ergo valet: Quoddam bipes est homo. Omnis gallina est bipes. E. Quædam gallina est homo. Peccator salvatur: Omnis homo est peccator. E. Omnis homo salvatur.

2. Minor primæ figuræ semper sit affirmans, nunquam negans. Ratio est: quia cum in prima figura procedatur à genere ad speciem, oportet in subje-
cto majoris speciem includi per affirmacionem

tionem in propositione minoris. Non ergo valet: Omnis homo est animal. Nullus leo est homo. E. Nullus leo est animal. Virginitas est bona. Conjugium non est virginitas. E. Conjugium non est bonum. Notabis tamen si major sit convertibilis, etiam minorem posse esse negantem in prima figura: sed hoc fit per accidens propter materiam, ut: Omnes credentes in Christum salvantur. Turcæ non credunt in Christum. E. Turcæ non Salvantur. Valet hoc etiam in iis, ubi minor sub medio subsunitur, tanquam angustius sub universaliori.

Estné etiam singularis Syllogismus hujus figuræ ?

Est: V. G. Promissus mundi Messias debuit pati, mori, & tertia die à mortuis resurgere. Christus DEI & Virginis Filius est promissus mundi Messias. E. Christus DEI & Virginis Filius debuit pati, mori & tertia die resurgere.

Quid est Secunda Figura ?

Secunda Figura est, in qua medius
termi-

terminus de utroque extremo predicatur. Nota primæ figuræ Syllogismos naturæ hominum notissimos esse: quia nullo negotio species generi includi potest: unde nemo est tam bardus, quin naturâ duce ex præmissis in prima figura positis conclusionem inferre possit: sed in secunda figura & tertia obscuriores sunt connexiones: quia in secunda disparatas species distrahimus, vel differentias aut proprietates unius speciei ab altera removemus: in tertia à specie ad genus cum conclusione particulari procedimus. Res autem ostendit non nisi à doctis species rectè discerni, aut à specie ad genus sine errore procedi posse. Sunt autem hic etiam quatuor modi hoc versiculo comprehensi:

**CESARE, CAMESTRES,
FESTINO, BAROCO**
secundæ.

- CES- Nulla arbor est animal.
AR- Omnis homo est animal.
E. E. Nullus homo est arbor.
CAM- Omne animal sentit.
ES- Planta non sentit.
TRES. E. Planta non est animal.
FES- Nullum honestum lædit conscientiam.
TI- Quædam voluptas lædit conscientiam.
NO. E. Quædam voluptas non est honesta.

BA-

- BA- Omnis homo est animal.
RO- Quædam arbor non est animal.
CO. E. Quædam arbor non est homo.

Qui sunt Canones hujus figuræ speciales?

1. In secunda figura major sit universalis. *Ratio est: quia in majore hujus figuræ genus vel differentia vel proprietas universaliter attribuenda est certæ speciei, & deinde ostendendum est in minore, quod istud genus, aut differentia, aut proprietas alteri cuidam speciei non possit tribui: unde postea in conclusione ipsarum specierum distractio infertur, quæ distractio probari non posset, nisi uni speciei id universaliter competeret, quod alteri detrahitur. Non ergo valet: Quidam homines sunt docti. Rustici non sunt docti. E. Rustici non sunt homines. Quædam delicta puniuntur à Magistratu. Ebrietas non punitur à Magistratu. E. Ebrietas non est delictum.*

2. Ex meris affirmativis in secunda figura

figura nihil sequitur: sed vel alterutram
ex premisibis vel conclusionem oportet
esse negantem. Non ergo valet: Omnis
homo est bipes. Omnis gallina est bipes. E. Omnis gal-
lina est homo. Quicquid justificat placet DEO. Bona
opera placent DEO. E. Bona opera justificant. Item:
Omnes heretici allegant scripturam sacram. Apostoli
allegant scripturam sacram. E. Apostoli sunt heretici.

Estne hic etiam Syllogismus singularis?

Est: V. G. Socrates fuit de formis.
Plato non fuit de formis. E. Plato non
fuit Socrates.

Quid est Tertia figura?

Tertia figura est, in qua medius ter-
minus utriusque extremorum subicitur.
Modi hujus figurae sunt sex, qui his ver-
ficulis comprehenduntur:

Tertia grande sonans edit DARAPTI, FE-
LAPTON.

Adjungens DISAMIS, DATISI, BOCA-
ARDO, FERISON.

DA-

- DA- Omnis homo est animal.
RAP- Omnis homo est substantia.
TI. E. Quaedam substantia est animal.
FE- Nullus homo est arbor.
LAP- Omnis homo est animal.
TON. E. Quoddam animal non est arbor.
DIS- Quaedam voluptas est honesta.
A- Omnis voluptas adversatur modestiae.
MIS. E. Quiddam quod adversatur modestiae est
honestum.
DA- Omnis pius est beatus.
TIS- Quidam pius degit in extremis miseris.
I. E. Quidam degens in extremis miseris est
beatus.
BO- Quaedam bella non sunt fugienda.
CAR- Omnia bella sunt calamitosa.
DO. E. Quaedam calamitosa non sunt fugienda.
FE- Nullum animal est arbor.
RIS- Aliquod animal est homo.
ON. E. Quidam homo non est arbor.

Qui sunt Canones speciales hu- jus figurae?

I. Minor propositio hujus figurae
semper sit affirmans. Ratio est: quia

in m-

in minore oportet ostendi, quod medius terminus uni tertio conveniat, cum quo scilicet conclusionis subjectum convenit, si conclusio est affirmans: vel non convenit, si est negans. Non igitur valet: Omnis leo est animal. Nullus leo est homo. E. Nullus homo est animal. Pater est DEus. Pater non est Filius. E. Filius non est DEus.

2. In tertia figura non sit conclusio universalis. Ratio consequentia manifesta est: quia posita specie necesse est poni genus sed particulariter. Non ergo valet: Nero fuit Imperator Romanus. Nero fuit truculentus Tyrannus. E. omnes Imperatores Romani sunt truculenti Tyranni. Augustinus, Ambrosius, Anastasius fuere cælibes. Augustinus, Ambrosius, Anastasius fuere Episcopi. E. Omnes Episcopi fuere cælibes. Item: Electi sunt regenerati. Electi sunt homines. E. Omnes homines sunt regenerati.

3. Necesse est integrum prædicatum minoris propositionis repeti in conclusione, & poni loco subjecti. *Utilis est hic canon ad multa sophismata solvenda*

venda in gravissimis materiis. ut: Homo est substantia corporea. Homo constat corpore & anima. E. Anima est substantia corporea. Sic erat inferendum. E. Quod constat corpore & anima est substantia corporea. Sic Totus homo scribit. Totus homo constat ex dorso & pedibus. E. dorso & pedibus scribit. Sic erat inferendum. E. Id quod constat ex dorso & pedibus scribit. Sic Alexander vicit regem Persarum. Alexander vicit Darium. Ergo Darius est rex Persarum. Nam Darius non est totum prædicatum minoris, sed vicit Darium. Sic nequè rex Persarum est totum prædicatum Majoris, sed vicit regem Persarum. Vera igitur conclusio sic habet: Ergo quidam qui vicit Darium vicit regem Persarum.

Habesne adhuc, de quo meminere cupis!

Duo adhuc notabis, quæ figuras Syllogismorum concernunt. Primum est de Syllogismo infinito: alterum de Syllogismo multiplici sive cryptico. De Syllogismo infinito observetur hic Canon: In prima figura quando subjectum majoris habet additam particulam negantem, tanquam partem, repetitur

K

petitur

petitur illa cum subiecto in minore, & fit pars prædicati, efficitquè minorem non negantem, sed affirmantem infinitam, ut: Quicumquè non credit, damnatur. Turcæ non credunt. E. Turcæ damnantur. Hic totum illud, non credit, fit prædicatum in minore: quia in maiore est subiectum: Ac propterea affirmans non negans erit minor. Ratio est manifesta. Nam prædicatum quando simpliciter conjungitur cum subiecto sine particula negante tali, quæ diversa sit ab essentia terminorum, propositionem facit affirmantem, nunquam negantem. In reliquis figuris res est manifestior. V. G. in secunda figura: Quicumquè non est ex DEo, verbum DEi non audit. Omnes electi verbum DEi audiunt. E. nulli electi non sunt ex DEo: id est: Omnes electi sunt ex DEo. Nam nullus non æquipollet omni.

Sic in Tertia figura: Omnis qui non credit, damnatur. Quidam qui non credit, est moraliter bonus. E. Quidam moraliter bonus damnatur. Nemo hunc Syllogismum dixerit negativum, cum affirmetur prædicatum: Vnde etiam conclusio affirmata infertur.

Quid mones de Syllogismo multiplici sive cryptico?

Observetur de eo hic Canon: Vbi plures inveniuntur termini quam tres, ibi

ibi plures uno Syllogismos esse necesse est. V. G. Calviniani hunc Syllogismum, quod quatuor constet terminis, rejiciunt, tanquam peccantem in forma. Dextra DEI est ubiquè. Humana Christi natura sedet ad dextram DEI. E. Humana Christi natura est ubiquè? Verum Syllogismus hic bonus est: sed compositus ex prosyllogismo & syllogismo principali. Loco enim majoris syllogismi principalis, posita est minor prosyllogismi: propterea quod ratio majoris syllogismi principalis in ea potissimum sita est. Sunt igitur duo syllogismi potestate, qui resoluntur hoc modo: Ut prosyllogismus est.

Vbicunquè est dextra DEI, ibi etiam est id, quod sedet ad dextram DEI. At dextra DEI est ubiquè. E. Etiam id ubiquè est, quod sedet ad dextram DEI. Hæc conclusio est propositio legitima syllogismi Principalis, ut: Id quod sedet ad dextram DEI est ubiquè. Humana Christi natura sedet ad dextram DEI. E. Humana Christi natura est ubiquè. Hactenus de generis.

Quid vocas analysin Syllogismorum?

Analysis orationis syllogistica est, quæ docet dicta scriptaque omnia,posito subiecto & conclusione retexere, causasque & principia inquirere veritatis

tatis, ut appareat, an rectè aliquid traditum & conclusum sit.

Hujus partes sunt due: λύσις sive ipsa ἀνάλυσις & ἀνακρίσις. λύσις est resolutio orationis proposita in propositiones, vel propositionum terminos.

Qui sunt hīc Canones observandi?

1. Primò omnium subjectum primum investigandum est, constituendaquè de illo principalis quæstio sive propositio.

2. Quæstio sive principalis propositio debet constituere conclusionem in syllogismo.

3. Non confundantur distinctiones, hypotheses, definitiones, divisiones, illustrationes, amplificationes, similitudines cum ipsa argumentatione.

4. Quærenda sunt due propositiones, quibus quæstionem principalem auctor vel adstruxit, vel destruxit.

5. A propositionibus illis inventis removen-

mo ven-

mo vendum est omne rhetorici ornatu choragium, ut nuda appareat simplexq; veritatis oratio.

6. Discernantur quoq; à syllogismo principali prosyllogismi, nempe qui ad roborandas præmissas afferuntur.

7. Cum facilius sit orationem in majores quam minores partes dividere, non primà observatione termini, sed propositiones spectari debent.

8. In locum obscurioris propositionis clariorè ponere potes, modo equipolleat.

9. Inspiciendum est, quamam propositio sit universalis, quamã particularis. Sape enim universalis pro particulari, & contrà ponitur.

10. Quod si vero, ut sæpissimè fit, amba propositiones explicitè sumptæ nō sint, altera supplenda est. Quod facile fieri potest, si observes, qui terminus quæstionis non explicitè ponatur in propositione. Si enim subjectum quæstionis non est

in propositione, tum minor deest: si prædicatum, tum major.

11. *Videndum etiam est, an præmissæ sint vera;*

12. *Ut veritas accuratius cognoscatur, resolvenda erunt propositiones in terminos, & ex terminorum inspectione, quis pro medio habendus sit, considerandum, nempe is, qui in ambabus propositionibus continetur. Hæc de analysi.*

Quid est anagoge, & quinam sunt de eâ canones?

Anagoge est reductio ad figuram & modum. Fit hæc duobus modis: 1. Ex mediæ termini cum extremis affectione. 2. Ex qualitate & quantitate conclusionis vel etiam præmissarum. Hæc omnia vero supra in figuris fusius sunt tradita. Hactenus de Syllogismis perfectis, sequuntur imperfecti.

Quid est imperfectus Syllogismus?

Imperfectus Syllogismus dicitur 1. is qui non habet tres tantum propositiones, sed vel pauciores vel plures: 2. Et

jam

jam is, qui propositionem aliquam, ut est plerumq; major, habet compositam. Species ejus sunt: Circulus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites, Syllogismus conditionalis, Disjunctivus, & Dilemma.

Quid est Circulus?

Circulus est probatio propositionis per conclusionem & alteram ejusdem Syllogismi propositionem conversam. Estq; duplex: Perfectus & Imperfectus. Perfectus est, in quo cum conclusione ambæ præmissæ, illarumque omnium convertentes monstrantur. Imperfectus est, in quo altera duntaxat præmissarum per terminos eosdem probari potest.

Qui sunt Canones?

1. *Si termini omnes sint convertibiles, plenus circulus poterit constitui sex Syllogismorum: Si non sint, non poterit.*
2. *Perfectus circulus tantum fit ex univ ersalibus affirmantibus in primâ figura, ideoq; in Barbara. In cæteris figuris & modis tot effici nequeunt.*

K 4

Exem-

perfectam & principalem, aliam imperfectam & minus principalem.

Inductio principalis est, quæ ex particularibus notioribus ostendit universale ignotius, ut: Vinum Maluaticum, Hispanicum, Italicum, Hungaricum, Rhenanum, Gallicum, Francicum, Thuringicum calefacit. E. omnia vina calefaciunt. Notabis vero, quando singularia sunt infinita, tunc sufficit præcipua adduxisse, additâ formula solenni: nec potest dari dissimile exemplum aut instantia.

Quod est discrimen inter Syllogismum & inductionem?

Triplex datur discrimen: 1. Inductio progreditur à notioribus nobis: Syllogismus à notioribus natura.

2. Quod concludit inductio, id principium est syllogismi.

3. Syllogismus quidem firmiter est: inductio vero magis obvia, nobisque manifestior, quia iudicium sensus sequitur.

Quid est imperfecta inductio?

Imper-

Imperfecta inductio vocatur aliàs Exemplum, & est, quando medio extremum majus inesse ostenditur per quoddam simile tertio, ut: Bellum Thebanorum contra Phocenses susceptum, fuit malum. E. bellum Atheniense contra Thebanos susceptum, fuit malum. Ut enim se habent Thebani ad Phocenses: Ita Athenienses ad Thebanos.

Qui sunt canones de Exemplo?

1. Exemplum neque ex universale colligit particulare, ut Syllogismus: neque ex singularibus universale, ut Inductio: sed ex singulari propter analogiam quandam colligit immediate tantum singulare.

2. In Exemplis impeditur consequentia, quando causa sunt diverse, & exempla non recte accommodantur, ut: Patres in veteri Testamento multas habuerunt uxores. E. & nunc concessa est polygamia. Item: Apostoli in scholis non didicerunt linguas & artes Philosophicas. E. Philosophia quoque ex scholis nostris explodenda est.

Quid

Quid est Sorites?

Sorites est argumentatio, in qua prædicatum primæ propositionis fit subiectum secundæ: prædicatum secundæ fit subiectum tertiæ, atque ita deinceps, donec tandem ultimum prædicatum cum primo subiecto jungatur, ut: Omnes homines sunt rationales. Omne rationale est discipline capax: Omne discipline capax est risibile: E. omnes homines sunt risibiles. Sorites igitur ex paucioribus quam quatuor propositionibus constare non potest.

Qui sunt canones de Sorite?

1. Sorite consequentia bona est, quando termini junguntur synonymis: quando causa necessaria cum suis effectis copulantur: Et quando prædicata subiectis per se in sunt, ut in superiori exemplo.

2. Quando ergo causa per se commiscetur cum causis per accidens, Sorites est malus, ut: Qui bene bibit, bene dormit: Qui bene dormit non peccat: Qui non peccat, est beatus: E. Qui

Qui bene bibit est beatus. Item: Ex malis moribus bone leges natae sunt: Bone leges sunt laude dignæ: Digna laude sunt expetenda. E. mali mores sunt expetendi.

3. Sorites fit vitiosus, quando propositio particularis ponitur secundo vel tertio loco, ut: Omnis homo est substantia: Quædam substantia est animal: Omne animal sentit: E. omnis homo sentit. Syllogismus primæ figuræ erit talis: Quædam substantia est animal: Omnis homo est substantia. Nihil concluditur.

4. Sorites est malus, qui à negatione initium ducit. In reductione enim si non utraq; præmissa, certè minor erit negativa in prima figura, ut: Homo non est leo: Leo est animal: Animal est corpus animatum: E. homo non est corpus animatum.

Alias vero, quando bona est prædicatorum negativorum connexio, Sorite negativi simpliciter rejiciendi non sunt. Bonus ergo Sorites negativus hic est. Peccata in credentibus à DEO teguntur: Quod tegitur non movet ad iram: Quod non movet ad iram, non accusatur: Quod non accusatur non punitur: Quod non punitur, non exigit ulteriorem satisfactionem: E. peccata in credentibus non exigit ulteriorem satisfactionem. Hæc de Sorite.

Quid est syllogismus Compositus
sive hypotheticus.

Hypotheticus Syllogismus est, cuius major est conditionalis, & consistat ex antecedente & consequente membro: quod utrumque iudicatur ex unione seu connexionione bona, ut: Si ignis est, urit: Si magnes est, trahit ferrum: Si ex lege est hereditas, vana est promissio. Hi hypothetici boni sunt, quia dari potest ratio consequentia. Sed si quis ita argumentetur: Si baculus stat in angulo, tunc cras pluet. Atqui baculus stat in angulo. E. cras pluet. Vitiosa est consequentia inter Antecedens & Consequens, unde etiam merito rejicitur.

Qui sunt ergo canones Conditionalis Syllogismi?

1. In syllogismo hypothetico ab assumptione antecedentis ad conclusionem consequentis valet illatio: non contra ab assumptione consequentis ad conclusionem antecedentis, quia in secunda figura fierent merè affirmantes, ut: Si homo est, animal est. Atqui homo est. E. animal est. Vera & proba est illatio: Falsa vero illa: Si homo est, animal est. Atqui animal est. E. homo est. Ratio est, quia posito genere non necesse est poni certam speciem. Sic: Si bona opera iustificanti, sunt exercenda. Atqui sunt exercenda. E. iustificanti.

Sic

Sic non valet: Si omnes homines sunt electi, tum omnes salvantur. Atqui omnes salvantur. E. omnes sunt electi. Sic si aliqui homines implent legem DEI, tum sunt sine peccato. Atqui sunt sine peccato. E. implent legem DEI.

Notabis tamen accuratè, in exemplis reciprocis, nempe à causa ad effectum & in materiis necessariis non valere canonem supra datum, ut: Si Sol ortus est, dies est. Hic perinde est, an antecedens an Consequens subsumas propter reciprocationem. Sic si verè credit, iustificatus est. Hic itidem perinde est, utrum membrum subsumas.

2. A remotione consequentis ad remotionem antecedentis valet illatio: sed non contra à remotione antecedentis ad remotionem consequentis: Fieret enim minor negans in prima figura, ut: Si homo est, animal est. Atqui animal non est. E. homo non est. Non ergo valet: Si leo homo est, animal est. Atqui homo non est. E. animal non est.

Quid est syllogismus copulativus?

Qui habet maiorem copulativam.

Qui sunt Canones?

I. Co.

1. *Copulativi syllogismi affirmativi dantur nulli*, ut: Iohannes est doctus & quæstor. Quid hic subsumes? Sed est doctus: At illud dixeris in maiore: Quid ergo? Iohannes est quæstor: Et hoc dixisti. Mera ergo hic committitur τωτολογία.

2. *Syllogismi copulativi semper procedunt ex maiore negante.*

3. *In syllogismis copulativis si unum ponatur, tollitur alterum, non vice versa. Si namque alterum tollas, ut ponas alterum, in manifesto errore versaris*, ut: Non & homo est & equus. Sed non est homo. E. est equus. Vel: Non est equus. E. est homo. Nulla consequentia est; Feri enim potest, ut sit bos, leo, ovis, aut aliud quid. Verum posito alterutro, ex necessitate alterum tollitur, ut: Non & homo est & equus. Sed homo est. E. non est equus.

Quid est Syllogismus Disiunctivus?

Syllogismus Disiunctivus est, in quo propositio maior est Disiunctiva, ut: Aut præceptor, aut discipulus est. Sed non est præceptor. E. discipulus est. Item: Aut dies, aut nox est. Sed nox est. E. dies non est.

Tota

Tota autem consequentia vis in syllogismis Disiunctivis pendet ex membro tum tam vera disjunctione, tum plena partium enumeratione, ut: Stuprum offerens virgini aut ducat eam, aut dotes eam. Item: Omnis Ecclésiæ doctor aut est bonus Pastor, aut mercenarius, aut lupus. Item: Spiritus Sanctus aut est genitus, aut ingenuus, aut procedens.

Non ergo valet: Petrus aut homo est, aut animal. Quia non est hic vera oppositio & disiunctio, sed tantum subalterna. Sic non valet: Omnis color est vel niger vel albus. In hac veste est color. E. est niger vel albus. Quia non est plena enumeratio partium. Sunt enim intermedii colores, ut ruber, viridis, flavus.

Nota perinde esse in syllogismo Disiunctivo, an antecedens an Consequens maioris subsumas: quia unum membrum per disjunctionem semper removetur, alterum manet.

Quid vocas Dilemma?

Dilemma est species Syllogismi Disiunctivi à dis ἑ λαμβάνω, quasi bis sumptum, & undiquaque capiens, unde etiam dicitur Disiunctivus biformis
Vocatur etiam Syllogismus Cornutus:

L

quia

quia utrinque velus cornibus ferit ad-
versarium: dicitur etiam bifurcatus:
quia biceps est ut furca: dicitur etiam

**Crocodilinus: quia Crocodilus si eum
sequaris, ducit in Nilum: si fugias, te
sequitur & comprehendit: Sic hic Syl-
logismus, quicquid etiam neget vel affir-
mes, te capit. Tale dilemma est illud
Herodianorum: Aut dandus est census
Caesari, aut soli Deo. Si dices, dandum
censum soli Caesari, eris sacrilegus: sin au-
dandum soli Deo, eris laesa maiestatis
Caesarea reus.**

Sic Pontificios tali dilemmate constringere possumus:
Si Evangelista & Apostoli non omnia ad salutem sufficien-
tia scripserunt, vel non potuerunt, vel noluerunt. Ve-
trumvis dices, est blasphemum: Potuerunt enim quia sin-
gulari modo ad iderant vocati: Voluerunt etiam, quia
non fuerunt invidi in Ecclesiam DEI. E. omnia ad salu-
tem sufficientia scripserunt.

Quando non valet Dilemma?

1. Si in dilemmate non sit plena
parti-

partium enumeratio, sed tertium vel
quartum membrum adas potest. Sic ad
supra datum dilemma Salvator respondit per additionem
tertii membri: Esse dandum utrique. Tale dilemma fuit,
quo Bias suavit, non esse ducendam uxorem: Aut pulchram
duces, aut deformem: Si pulchram, habebis communem:
Si deformem, habebis poenam. Ergo non est ducenda u-
xor. Phavorinus apud Gellium lib. 5. cap. 11 respondet,
esse insufficientem partium enumerationem: quia datur
media forma, Stata Ennio dicta, quae neque nimis pulchri-
tudinis est, neque nimis deformitatis.

2. Si ex priore posterius, & ex poste-
riore prius everti possit. Tale exemplum est
apud Gellium libro 5. cap. 10. Protagoras praeceptor sic
argumentatur: Aut contra te pronunciabitur, aut pro te.
Si contra te, merces mihi debetur ex sententia, quia ego
vicero. Si secundum te, merces mihi ex pacto debetur,
quia tu viceris.

Euathlus discipulus hoc dilemma sic evertit: Aut
contra me pronunciabitur, aut pro me. Si pro me, nihil
tibi ex sententia debetur, quia ego vicero. Si contra me,
nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non vicero.

3. Si utrumque membrum dilemmatis
nihil faciat ad rhombum, & idonea di-
stinctione tolli possit, ut est illud Pon-
tificiorum. Episcopus qui Lutherum

vocavit & ordinavit, aut fuit verus Pastor, aut falsus seu lupus. Si pastor verus, ab illo Luthere discedens lupus factus es; Si lupus, quis te à lupo factum pastorem agnosceret?

Dilemma solvitur adhibita idonea distinctione inter officiū ipsum, & officii administrationem. Potest quis in officio divino adeoq; verus pastor esse, & potest simul illud male administrare, & sic lupus fieri. Exemplo sunt Pharisaei, qui quo ad officium ipsum sedebant in cathedra Moysi Matt. 23: quo ad executionem vero & muneris administrationem erant lupi, fures, latrones animarum Iohan. 10. Idem & sibi responsum sciatis Pontificii. Episcopus qui Lutherum vocavit & ordinavit, fuit verus pastor, quantum ipsum officium attinet: fuit lupus in executione & muneris administratione.

4. Sa-

4. *Sape in dilemmate peccatur vitio male consequentia. Tale dilemma est iterum illud Iesuitarum: Electi aut edunt fidei suae professionem, aut non edunt. Si edunt, utique Ecclesia semper est visibilis, quia semper editur confessio. Si non edunt, tum nulla est Ecclesia. Nam non est Ecclesia vera, in qua nulli sunt, qui edunt confessionem suam, & salvantur. Respondeo, priorem dilemmatis huius partem laborare vitio male consequentiae, adeoq; ignoratione Elenchi. Confessio enim fidei non facit Ecclesiam visibilem, sed ipsorum hominum conditio, quae est visibilis. Probamus luculento exemplo septem millium tempore impii regis Achabi, quos confessio non fecit visibiles. Idem statue de discipulis Christi metu Iudeorum in domo absconditis. Imò vera fidei professio sepe non in manifesto, sed in occulto vim suam habet Rom. 2. v. 28. & 29. pro ut vita etiam sanctorum cum Christo in DEO abscondita est, Coloss. 3. v. 3.*

Tale vitiosum dilemma est & illud Pontificiorum. Si licet biblia in linguas vernaculas transfundere, licebit id, aut

L 3

pro

propter docentes, aut propter discen-
tes: Non propter docentes: siquidem
hi si non fontes ipsos, saltem linguam
latinam callent eamquè intelligunt.
Non propter discentes: quia hi rectius
ex institutione Doctorum, quam ex
lectione bibliorum proficere possunt.
Ergo Biblia in Germanicam linguam
non sunt transfundenda. Fallit dilemma
vitio malæ consequentiæ, quod tum denu-
m valet, quando
conficitur ex contrariis immediatis. Iam vero discipulorum
officium immediatè & sic contradictoriè esse oppositum
lectioni & meditationi scripturarum, quæ à quolibet pio
instituitur, nemo nisi plane amens affirmaverit. De ma-
teria dilemmatis nihil hoc loco dicam.

Quid deniquè est τὸ βίαιον seu vio-
lentum?

Violentum est argumentatio ratio-
nem ad versari excipiens, & in eam re-
torquens. Unde omne violentum cum
aliquo medio fieri, & vim syllogisticam
cominere debet. Sic Iesuitæ nobis objiciunt.
Luthe-

Lutherus ipse queritur. quod ibi, ubi
Euangelium publicè à Lutheranis do-
cetur, indices magis magisque peccata
cumulentur. Ergo per Lutherano-
rum doctrinam vilescunt bona opera.
Respondemus per violentum, illam
ipsam querelam testimonium esse, quod
doctrina Lutherana urgeat bona opera,
adeoq; per illam vilescere nequeant.

Sic enim argumentamur: Quæ doctrina conqueritur
de malitia hominum, peccatâq; coarguit, reprehendit &
damnat, illa urgeat bona opera. Atqui doctrina Lutherana
norum hoc facit. Ergo.

Porrò: Quæ doctrina urgeat bona opera, non est in
causa, ut vilescant bona opera. At Lutheranorum do-
ctrina urgeat bona opera. E. non est in causa, ut vilescant
bona opera. Hactenus de syllogismis imperfectis.

Quid tandem vocas consecutionem
propositionum?

Consecutio propositionum est, cum
sine medi dispositione propositio ad pro-
positionem sequitur: hujus canones sunt
sequentes.

1. Ad visis ad conjuncta valet consequentia: 1. *Cum omnes partes sunt essentialis & per se coherentes, ut: Homo est animal & est sentiens ac vivens: E. est animal sentiens ac vivens.*

2. *Cum in predicato est accidens, quod subiecto in est, ut: Ille est homo & est albus. E. est albus homo.*

Non autem valet consequentia: 1. *quando coherencia est per accidens, ut: Hic est sutor & est claudus. E. est claudus sutor. Hic est Musicus & est brevis. E. est brevis Musicus. Alii Logici sic efferunt: Non valet, cum accidentia animi & corporis confunduntur.*

2. *Quando ambiguitas est in voce, ut: Hic canis est pater, & est tuus. E. est tuus pater. Quia ambiguitas est in voce tuus. Tuus enim in antecedente sumitur possessive: in consequenti vero relative.*

2. A conjunctis ad divisa non valet: 1. *cum in adjecto est limitatio contradictionis, ut: Cadaver est animal mortuum. E. Cadaver est animal. Sic: Roma est Ecclesia Catholica. E. Roma est Ecclesia. Monstrum id est sine exemplo, & portentum sine ratione, adeoq; oppositum in adjecto. Catholica*

tholica enim Ecclesia omnes particulares sub suo complexu continet, tanquam membra totius: quod de Romana dici nequit.

2. *Cum predicatum de subiecto dicitur per accidens, ut: Homerus est poëta. E. Homerus est, id est, existit.*

3. *Ab exclusiva ad universale per terminos transpositos est bona consequentia, ut: Tantum homo inter creaturas est rationalis. E. quicquid rationale est inter creaturas, id est homo.*

4. *A remotione unius membri immediati ad exclusivam est bona consequentia, ut: Non justificamur bonis operibus. E. sola fide. Anima non intravit in celum. E. tantum in infernum.*

5. *Ex affirmativa de predicato finito sequitur negativa de predicato infinito, ut: Homo est justus. E. homo non est non justus. Hoc canone solvitur illud vulgatum: Aut habet, aut non habet. Sed habet. E. non habet. Conclusiomale infertur: Sic enim debebat in ferri: E. non est non habens.*

6. *Ex affirmativa predicati infiniti sequitur negativa de predicato finito, si*

subjectum sit capax habitus, ut: Homo est non pius. E. est impius.

7. *Convertens ad conversam in omni genere conversionis recte sequitur, ut: Nulla Philosophia est opus carnis & flos peccati. E. nullum opus carnis & flos peccati est Philosophia.*

8. *Conversioni per contrapositionem affinis est illa illatio, quae fit à contrario sensu, ut: Si intemperantia est causa morborum. E. temperantia est causa valetudinis. Notabis tamen, si prædicatum sit commune, non valere contrarii sensus illationem, ut: Albedo est color. E. nigredo non est color.*

Atque hætenus de libro tertio & quidem de Logica formali.

LOGI-

LOGICA MATERIALIS.

De prolegomenis.

Quot sunt species Logicae materialis?

Logica materialis sive syllogismi secundum materiam tres sunt species secundum tres materiarum conditiones:

1. *Necessaria sive apodyctica: 2. Probabilis sive Topica: 3. Fallax seu Sophistica.* Dicitur autem materialis Logica, quod hic tradatur modus & ratio observandi syllogismum, quanam sit ejus materia, an sit necessaria sive demonstrativa: an probabilis & Topica: an sit fallax seu Sophistica;

In quibus disciplinis syllogismi Demonstrativi locum habent?

Disciplina ad docendam proposita sunt

sunt triplices: Theoretica, Practica & Effectrices. Ex his Practica quidem & effectrices quoad probandi rationem non videntur desiderare ullam peculiarem doctrinam præter eam, quæ in Logica formali tradita est. Itaq; Iureconsulti, Medici, Theologi in nonnullis, Ethici, Politici, & si qui alii in doctrina activa vel Effectiva occupantur, contenti esse possunt dictâ communi syllogizandi ratione, quam ex Logica formali petere, & ad propriam suam materiam accommodare possunt. Quia problemata ipsorum talia sunt, ut allatis ex facultatibus & artibus rationibus, & ad syllogismum examinatis, discipulus facile acquiescat.

Inveniuntur ne syllogismi Demonstrativi in Theoreticis disciplinis?

Omnino: quia in Theoreticis disciplinis, hoc est, Physica, Mathematica, & Metaphysica non sufficit tantum, ut res ad Syllogismi rationem formalem examinentur: sed requiritur præterea materia summa necessitas, qualis est inter causam & effectum, inter subjectum & proprium accidens sive affectionem.
V. G., non queritur in Physicis, utrum celum moveatur circulariter? sed quanam sit causa istius motus? Idem intellige

tellige de omnibus aliis questionibus scientificis, quod nempe in eis queratur prima & proxima causa, cur talis affectio subjecto insit; Et quia ad hoc non sufficit sola formalis ratio syllogizandi, sed ulterius certæ quædam conditiones requiruntur, ex quibus cognosci possit, an causa legitima sit assignata: ideo requiritur peculiaris quædam doctrina, quæ à potiori Demonstratio & scientifica vocatur. Notabis ergo, Physicum, Mathematicum, & Metaphysicum causam quidem suppeditare quæstionis allatæ: an autem veram causam afferat non falsam, an item proximam non remotam, hoc examinat Logicus per Syllogismum demonstrativum, sive per doctrinam hanc, quæ est de demonstratione.

Datur ne talis demonstratio?

Fuerunt olim Philosophi, nempe Heraclitus, Pyrrho, & reliqui Sceptici ac Academici, qui nullam omnino scientiam ac demonstrationem esse statuerunt: quem opinionis abortum proximo seculo Petrus Ramus refluxit ac interpolavit. Quibus opponimus, quod nullo modo negari possit, dari rerum affectiones sive propria *ωάδν*, quæ essentias vel essentielles rerum & subjectorum constitutiones immediate sequuntur. Ergo illis immediate insunt: Ergo semper insunt: Ergo necessario insunt: Ergo per causam insunt: quia Effectum non datur, quin simul & causa detur. Quia igitur datur essentielle accidens & proprium, necessaria utiq; dabitur Enunciatio, in qua tale *ωάδν* & accidens de subjecto suo proprio, cui omni-
soli,

soli, & semper in est, enunciatur. Dabitur quoq; necessaria Enunciatio, in qua forma, accidentis proprii causa, de subjecto, cuius potior pars est, & illa, in qua proprium accidens de forma, ut causa prima, à qua suum esse habet, & qua cum recipiatur, predicari solet. Cum itaq; has tres Enunciationes necessarias dari, à nemine possit negari: constat necessarium quoq; & Apodycticum dari syllogismum ex eiusmodi propositionibus extractum.

Estne ergo hujus doctrinæ magna utilitas?

Doctrina de Demonstratione est finis totius Logicæ, & omnium eorum, que in Logica pertractantur: unde quoq; magistra omnis solidæ eruditionis à Zabarella, & tropus pædias ab Aristotele nominatur. Hæc de Prolegomenis ante Demonstrationem.

DE NATURA DEMONSTRATIONIS seu scientifici syllogismi.

Quid ergo est syllogismus Demonstrativus?

Demonstratio est syllogismus scientiam pariens ex necessariis.

Quæ est materia syllogismi Demonstrativi?

Materia

Materia hujus syllogismi est vel remota vel propinqua.

Remota materia sunt tres termini:

1. Subjectum sive minor terminus: 2. Tradicatum sive major terminus, hoc est affectio sive proprium accidens, quod de subjecto demonstratur. 3. Principiū & causa, que medii termini locū tenet.

Propinqua materia sunt ipsæ propositiones, nempe præmissæ & conclusio.

Quid est subjectum Demonstrationis?

Subjectum Demonstrationis est id, de quo affectio predicatur: semperq; in syllogismo Demonstrativo minoris termini locum occupat.

Quotuplex est subjectum Demonstrationis?

Aliud Subjectum est proximum, aliud remotum.

Sub-

Subiectum proximum est, cui soli, & omni, & semper inest affectio demonstrandi, ita ut convertatur cum ipso. V. G. Homo est proximum subiectum risibilitatis, corpus animatum vite. Hec enim sunt adequata subiecta, nec vel latiora vel angustiora.

Remotum est, quod est angustius affectione, & non potest converti cum ea, ut: corpus, animal, homo sunt remota subiecta vite. Sic omnis Luna obscurari potest: sed non omne, quod obscuratur est Luna.

Qui sunt Canones notandi?

1. Subiectum Demonstrationis ne sit ambiguum. *Ambigua enim neq; defini, neq; dividi, neq; demonstrari possunt.*

2. Subiectum demonstrationis duplici modo sit præcognitum & notionibus anticipatum: videlicet quod sit in rerum natura, & quid sit. Rei enim non existentis ac penitus ignotæ causam essentia proximam nemo inquiris: & eius quod non est, nulla potest haberi scientia.

Notanda

Notabis autem, questionem, An sit, in iis potissimum locum habere, quæ vel sensibus exterioribus non sunt exposita, sed λογικὰ & per certa principia sunt indaganda: vel quæ ab adversariis in dubium vocantur. Sic Aristoteles in Physicis probat, an sit fortuna, locus, inane, tempus &c. In rebus vero manifestis omittit hanc questionem. Sic Pontificius probare tenetur, an sit purgatorium: quia ab adversario id in dubium vocatur. Idem Iudica de celo Crystallino & Empyreæ. Questio præterea an sit, in quibusdam ratione existentia obscura non est: quid autem sint, manifestum non est. Rursus in quibusdam quid sint, manifestum est: an vero sint, sive quod sint, non æque patet. V. G. Quod caro sit in rerum natura, quod nervi, quod muscoli, quod lux, quod color, quod natura, quod motus sit, non est obscurum: quid autem sint, non perinde patet. Rursus in aliquibus conspicuum est, quid sint, V. G. Quid sit centaurus, quid pygmæus, quid antipodes, quid manes, quid purgatorium, quid limbus patrum & infantum: an vero sint, non æque est manifestum.

3. In perfecta demonstratione subiectum requiritur proximum, non remotum.

Quid est affectio seu accidens proprium?

Affectio seu accidens proprium est

M

id,

id, quod predicatur subjecto inesse, & sol-
let in syllogismo demonstrativo majoris
termini locum occupare: v. G. sit questio de-
monstrabilis, an terra moveatur? an homo sit disciplina
capax? Hic moveri & disciplinae capacem esse dicuntur
affectiones.

Qui sunt canones notandi de affectione?

1. *Affectio debet vacare omni am-
biguitate.* Sic pisces & cete dicuntur mori: sed haec
affectio est ambigua. Aliter enim pisces, aliter cete extra
aquam moriuntur: pisces, quia aqua egent, ut nos aere:
cete, quia se movere, & in terra progredi nequeunt.

2. *Affectionis definitio nominalis
nobis in praecognitis habenda est.* Huius
enim ductu ad generalem illius sive proprii noticiam per-
veniemus. Quod vero affectio subjecto insit, id per de-
monstrationem demum perspicitur.

3. *Sicut id quod sit sive existentia fun-
damentum est subjecti. Sic id quod in-
sit fundamentum est affectionis.*

4. *Affectio debet necessario in esse
suo subjecto & reciproce.* Excluduntur ita-
que a

que a Demonstratione res contingentes & mutabiles:
Item res fortuite, ut thesauri inventio, item res singulares.

5. *Omnis affectio de subjecto demon-
strari nequit.* Possunt, quae causam habent ab essen-
tia diversam, quales sunt, propria in quarto modo: non
autem possunt substantiae & partes essentialis, ut & essen-
tialia predicata, de quibus infra latius agemus.

Quid est causa?

*Causa est per quam demonstratur,
quod affectio insit subjecto, & medi ter-
mini locum semper habet in syllogismo
Demonstrativo:* v. G. Vtrum pisces respirent
nec ne, queritur? affero causam & modum respirationis.
nempe pulmonibus diductis & vicissim collabentibus ae-
rem haurire & reddere ob caloris vitalis conservatio-
nem. Hanc causam applico piscibus, & demonstro, pisces
non respirare: quia carent pulmonibus, nec aere sed aqua
egent ad vitam.

Nota bene, quod causa in quibusdam rebus sit sensualis,
& experientia constet, ac proinde demonstratione non
indigeat: ignem calere, aquam humectare, corpora natu-
ralia variis mutationibus esse ob noxia, constat experien-
tia. Interdum vero causa est obscura, atque talis causa per
demonstrationem probe est inculcanda, ut facit Aristote-
les in Physicis, de fortuna, casu, infinito, vacuo &c.

Qui sunt hęc canones notandi?

1. *In demonstratione non nisi proxima & immediata causa usus est.* sicut enim genera superiora non perinde docent, quid res sit, atq; genus proximum: sic remotiores cause non perinde explicant, cur res sit, ut causa proxima. Talis causa proxima est rationale respectu risibilitatis in homine. Sic interpositio terre inter Solem & lunam diametralis est causa proxima & immediata, cur luna privetur lumine Solis. Sic Eclipsios Solaris causa proxima est interpositio lune inter solem & terram. Sic verbum DEI est, causa proxima atq; summa & ultima veritas articulorum fidei probandorum. Traditiones Pontificis, non quia Pontificis sunt, sed quatenus cum DEI verbo conveniunt, recipiuntur. Ergo ex Traditionibus Pontificis aliquid probare velle, est: ex causa remota non proxima argumentari.

2. *Causa, per quam fit demonstratio, non tantum cum affectione, Sed etiam cum subjecto convertibilis esse debet.* Cum affectione, ut: Omne risibile est rationale, & omne rationale est risibile. Sic que longeva sunt, humidum habent, quod nec facile exsiccatur, nec facile frigescit. Et contra, que humidum habent, quod nec facile exsiccatur, nec facile frigescit, sunt longeva. Cum subjecto, ut: Omne rationale est homo, & omnis homo est rationalis.

3. Omnes

3. *Omnes quatuor causa habent suum usum in demonstratione.* Aristoteles 4. Phys. c. 7. tex. 69. & 70. Sic demonstratio est ex materia: Omne dimidium duorum angulorum rectorum est angulus rectus. Omnis angulus descriptus in semicirculo est dimidium duorum rectorum. E. omnis angulus descriptus in semicirculo est angulus rectus.

Forma hoc loco non accipitur pro altera parte compositi: ea namq; demonstrationis medium nunquam esse potest, aliàs idem per seipsum demonstraretur: sed forma hoc loco accipitur pro perfecta accidentis definitione, que positione tantum differt a demonstratione, & unde quidditas accidentis dependet. Exempla jam tradidimus de Eclipsi solari & lunari.

Sic demonstratio est ex Efficiente: Quotiescunq; Sol ascendit supra nostrum horizontem, toties dies oritur. Atqui jam ascendit supra nostrum horizontem. E. jam dies oritur.

Tandem demonstratio est ex fine: Pii omnia cedunt in bonum, quia destinati sunt ad eternam felicitatem.

Atq; sic elucescit, quomodo omnes quatuor cause serviant demonstrationibus: quantumvis quidam ex neotericeis arbitrentur, externas saltem causas Efficientem & finalem: non etiam internas materiam & formam ad demonstrandam de subjecto affectionem recte adhiberi.

4. *In Mathematicis non demonstratur per causam Efficientem.* Ratio: Ibi enim

res abstractivè considerantur, nulla habità ratione motuum, nisi fortasse metaphoricorum, qui tamen à Demonstratione exulant.

5. In Physicis propter abditam & latentem causarum internarum cognitionem causa efficiens magnus est usus: quamvis tales demonstrationes per causas Efficientes difficulter se formulis syllogisticis submittant. Vide Clarissimum Iacobum Martini in Institutionibus Logicis fol. 116.

6. Una est cujusq; rerultima & proxima causa non plures. Neq; enim in causis datur progressus in infinitum.

7. Sicut una proxima causa non est nisi unius effectus, per quem demonstratur ac definitur: sic unius causa non possunt esse plures effectus ab eà provenientes per se, proximè & immediate.

Ratio est: quia alioqui una causalis definitio & una demonstratio diversis rebus competeret: V. G. ratio humana multarum actionum causa est, non certè immediata sed mediata. Atq; hæc de materia Demonstrationis remota, videlicet, subjecto, affectione & causa.

Habesne aliud quid, quod hoc loco moneas?

Scias

Scias Principia Scientiarum interdum pro medio termino sive causa demonstrationis adhiberi. Egregiè, inquit, Neldelius in prato suo Logico: Principia usurpantur pro medio termino sive causa ipsius effectus aut affectionis ad demonstrandum propositæ: quia continent causam majoris extremi sive propriæ affectionis per Metonymiam, quà continens pro contento accipi solet. Idem habet Zabarella.

Medius ergo terminus sive causa est quiddam simplex: principia talia sunt conjuncta, & causam continent, V. G. queritur: an alteratio Physica includat aliquam temporis moram? affirmo principio Physico vulgato: *Omnis motus fit successivè: Alteratio est motus. E. fit successivè.* Et per consequens, includit temporis moram. Sic an homo sit corruptibilis? Ajo ex principio Physico: Omne compositum ex elementis inter se pugnantibus est corruptibile. Omnis homo est compositus, &c. E. Sic an unitas sit numerus? nego principio Mathematico. Omnis numerus potest dividi & multiplicari. Unitas non potest dividi & multiplicari.

M 4

plicari.

plicari. E. Sic an Accidens sit Ens proprie ita dictum? Nego principio Metaphysico. Ens proprie dictum est, quod per se existit. Accidens non per se existit. E. Sic an Filius DEI tota sua persona post unionem etiam sit extra assumptam naturam. Nego principio Theologico: quia extra eandem tota plenitudo DEitatis non habitat, sed corporaliter habitat in Christo. Unde sicut haud sequitur: Filius DEI habitat tota plenitudine DEitatis in finita humanitate. E. Persona Filii DEI facta est finita, alioquin non posset cum finita humanitate uniri, nec tota plenitudine in illa habitare. Sic nec sequitur illud Calvinianorum. Filius DEI nusquam gentium est, ubi assumptam naturam personaliter sibi presentem non habeat: E. assumpta natura facta est infinita.

Quomodo vero talia principia in scholis solent dividi?

Demonstrationis principium est propositio immediata, quae nulla alia priore propositione demonstratur, & absq; ulla demonstratione per se fidem habet.

Dividitur in Axioma sive honorariam sententiam, & thesin sive positionem.

Quid sunt axiomata?

Axiomata

Axiomata sunt propositiones immediatae velut à natura mentibus hominum insita, quae sine doctore intelliguntur, & à discipulo ad disciplinam afferuntur, ut: Neminem laedito, honestè vivito, suum cuiq; tribuito, parentes venerator, DEum colito. Item totum est majus sua parte: Bis quatuor sunt octo: Ab equalibus si auferas equalia, quae relinquuntur, sunt equalia: Quae sunt uni tertio equalia, inter se sunt equalia.

Thesis est propositio immediata, quae ut intelligatur, doctoris requirit operam: Estq; triplex: 1. Definitio: 2. Hypothesis sive suppositio: 3. Axioma sive postulatum.

Quid est definitio?

Definitio est, quae quid res sit, explicat. Tales definitiones sunt linea, superficies, annuli, circuli, diametri.

Quid est hypothesis?

Hypothesis est propositio alterutram contradictionis partem enuncians, esse scilicet

scilicet vel non esse. Et quia illa vera videtur, à discipulo præceptoris conceditur. Talis hypothesis Physica est: Ex nihilo nihil fieri: Talis hypothesis Mathematica est: Omnes recti anguli inter se sunt æquales.

Quid est *Æterna* sive postulatum?

Est ejusmodi propositio, quæ veritati quidem non videtur consentanea discipulo: demonstrator tamen & præceptor sibi fidem haberi petit, ut: A quovis puncto ad quodvis punctum recta ducitur linea: Ad quodlibet punctum & intervallum circulus describi potest.

Qui sunt canones de Principijs?

1. Principia debent vacare omnibiguitate. Si enim in principijs erratum sit, quicquid superstruitur, corruet.

2. Principia debent esse immutabiliter vera. Si enim quippiam falsi insit iis, tum omnia principjata, hoc est, ea quæ iis superstruuntur, existunt falsa.

3. Prin-

3. Principia debent esse immediata & inde monstrabilia. Si enim medium habeant, erunt alia principia priora. Hoc autem ita intelliges, principia in alia quidem superiore scientia probari posse: at in ea, in qua ut principia sumuntur, non posse. Traditiones itaq; Pontificiorum, ut & Ecclesia non sunt principia immediata: quia aliud se prius habent, nempe DEI verbum.

4. Principia sunt credibilia & notiora ipsis conclusionibus. Conclusiones quidem ex principiis deductæ possunt esse controversæ & disputabiles: at ipsa principia debent esse certa & extra controversiam posita. Exemplis fiet res illustrior: Pontificius ait: non sola fide justificari hominem, sed simul operibus & quidem fide formatis, nempe caritate & spe. Pro hac opinione stabilienda inter alia adferunt & hæc Christi verba Luc. 7. descripta: Remissa sunt huic mulieri peccata multa, quia dilexit multum. Si postulavero hic ab adversario, ut syllogisticè mecum agat, non hoc volo, ut ipsum sacre scripturæ dictum per se fide dignum syllogisticè confirmet: sed ut suam conclusionem & opinionem ex illis verbis Christi necessariò sequi, syllogisticè ostendat. Similiter cum ad sero, Romanam Ecclesiam non esse Orthodoxam & sinceram Ecclesiam, & loco probationis attulero illud Christi Iohan. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, Iesuita aliquis à me syllogismam exiget, non ut verba Christi allata probentur: sed ut meam sententiam.

sententiam iisdem necessario stabiliri, syllogisticè atq; sic evidenter evincam. Ita nimirum patet, quomodo conclusiones ex principiis deductæ possint esse controversæ ac disputabiles, quantumvis ipsa principia sint certa & extra controversiam posita.

5. Principia debent scientiis esse familiaria, domestica, & propria, non communia. Communia enim principia sunt limitanda, & ad præsentem materiam accommodanda, ut fiant propria. Vnde non licet in demonstrationibus de genere in aliud genus migrare.. Fit autem transitus ex genere in genus dupliciter: 1. Si summos scientiarum fines confundas, ex spaciando ex unâ disciplina in aliam: hoc est, si Physicas conclusiones rationibus Mathematicis, Mathematicas, Metaphysicis, Theologicis Philosophicis confirmare volueris. V. G. Finitum non est capax infiniti, capacitate Physica & Mathematica, Theologia non negat. Si quis autem principium hoc aliter, & quidem de quavis participatione contra unionem personalem τὸ λόγῳ & carnis Christi interpretetur (sicut Calviniani hodie passim faciunt) is non Philosophiam seu Physicam incuset, & falsitatis arguat, sed sibi ipsi dicam scribat, qui principio huic Physico falsam affingit mentem, falsam explicationem.

2. Viciosus est etiam iste transitus, cum ex uno prædicamento in aliud digredimur. Sic peccant Iesuitæ docentes, justificationem duplici constare forma, nempe remis-

sione

sione peccatorum & infusione iusticiæ: quæ duæ formæ ex diversis prædicamentis sunt desumptæ, & ad unius rei constitutionem concurrere non possunt. Remissio enim peccatorum est in prædicamento Relationis, infusio iusticiæ in qualitate.

Sic principia hæc: Virgo est mater: Aliquod individuum, quod se mel interit, idem numero redire potest: principia inquam hæc familiaria sunt domestica ac propria Theologiæ: ideoq; non debent esse communia Theologiæ & Philosophiæ, quia naturaliter & per causas Physicas non valent.

6. Diversarum scientiarum interdum eadem sunt axiomata, eadem hypotheses & principia. Contingit hoc duobus modis: 1. Quando scientiæ sunt subalterne. 2. Quando certâ proportionem & analogiam affectio unius subjecti etiam alteri subjecto competit. Quales scientiæ subalterne sunt Physica & Medicina, Arithmetica & Musica, Geometria & optica. Hæc de principiis.

Quæ est materia demonstrationis
propinqua?

Sunt propositiones syllogismi Demonstrativi, quæ debent esse vera, prima, immediata, notiores, priores, & causa conclusionis. Propositiones enim ita debet

debent esse constituta, sicut principia si-
ve termini, ex quibus constantur.

Ut hæ conditiones propositionibus
Demonstrativis inesse possint, requi-
riturne aliud quid adhuc?

Omninò requiruntur tres gradus ne-
cessitatis: 1. $\kappa\alpha\tau\omicron\varsigma$ hoc est, de omni:
2. $\kappa\alpha\theta\prime$ $\alpha\upsilon\tau\omicron$ per se: 3. $\kappa\alpha\theta\omicron\lambda\omicron\varsigma$ $\eta\gamma\omega\tau\omicron\varsigma$ seu
quatenus tale.

Quid vocas gradum $\kappa\alpha\tau\omicron\varsigma$?

$\kappa\alpha\tau\omicron\varsigma$ est, cum predicatum in est
subjecto universo. Estq; duplex, vel
subjecti, vel predicati.

$\kappa\alpha\tau\omicron\varsigma$ subjecti est, cum predica-
tum convenit omnibus speciebus & in-
dividuis sub subjecto contentis, ut: Omnis
purus homo est mendax: Omnis lapis est gravis. Omne
animal sentit, vivit, movetur. Sic hodie inter nos & Iesui-
tas disputatur, an Ecclesia semper sit visibilis? Illi simpli-
citer affirmant, nos negamus. Externus quidem Eccle-
siae cæus visibilis est: sed Electi, quatenus per internam
fidem definiuntur, non sunt visibiles. Itaq; hoc potissimum
dispu-

disputatur: an vera Electorum Ecclesia formam suam
visibilem semper æquabiliter exerat? Negamus id in-
trepidè suo loco bene multis exemplis, quantumvis Iesui-
tae Ecclesiam simpliciter visibilem esse, contendant.

$\kappa\alpha\theta\prime$ $\alpha\upsilon\tau\omicron$ vero predicati est, cum pra-
dicatum subjecto attribuitur sine ulla
exceptione temporis aut loci, ut: Omnis ho-
mo est visibilis & discipline capax. Sic queritur inter
nos & Iesuitas, an Ecclesia sit inde Catholica, quia ipso
actu semper per totum orbem est dispersa? Negamus in-
trepidè exemplis bene multis è verbo DEI petitis.

Hic ergo primus gradus requirit: 1. subjecti univer-
salem; ut predicatum toti insit subjecto: 2. temporis
perpetuitatem, ut semper & ubiq; insit.

Quid vocas gradum alterum per se?

Per se in est, quod non contingenter,
sed essentialiter, ideoq; necessario in est,
atq; ita per se dicitur quatuor modis.

Primus modus est, cum predicatum
est de essentia ac definitione subjecti ut
cum genus de specie, species de indivi-
duo, differentia de specie, definitio de de-
finito predicatur, ut: Silex est lapis: fraxinus est
arbor: fides est habitus: baptismus est sacramentum.

Secundus modus est, cum subjectum est de essentia ac definitione predicati: hoc est, quando accidentia propria de subjectis dicuntur: ut: homo est risibilis, disciplina capax, animal est sensibile, corpus est mobile. DEUS est ubiq: Spiritus non habet partem extra partem.

Tertius modus est quando existentia de substantia predicatur, ut: homo est, animal est.

Quartus modus est, quando effectus predicatur de causa, ut: jugulatus interiit: immobilitas cordis est mors: tempestas est calamitas segetum &c.

Suntne omnes modi per se ad demonstrationem necessarii?

Non: tantum secundus modus utilis est ad demonstrationem: reliqui vero non, quia aut non sunt reciproci, aut non possunt per aliam causam demonstrari. Sola igitur accidentia propria demonstratione concludi, & de subjectis per causas primas demonstrari possunt.

Hic ergo alter necessitatis gradus præter subjecti universalitatem & temporis perpetuitatem requirit insuper essentialem coherentiam prædicati cum subjecto.

Sic disputatur hoc seculo inter nos & Iesuitas, an veritas doctrinae celestis ordinariae Episcoporum successioni per

per se & essentialiter insit, ita ut una ab altera non possit seungi? Iesuita quidem id affirmant, nos negamus, & hoc loco tantum Phariseorum & Arrianorum exempla illis opponimus: qui in ordinaria successione constituti veritate celestis doctrinae exciderunt.

Quid vocas gradum *καθ' ἑαυτὸν*?

Est cum predicatum de subjecto dicitur immediate & reciproce, & ipsi quæ ipsum tribuitur, ut: Omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales: Omne corpus naturale est mobile: Omne corpus animatum nutritur. Hæc de materia propinqua demonstrationis, videlicet propositionibus.

In quâ figura syllogismus Demonstrativus concluditur?

Concluditur in prima figura tam affirmans, quam negans syllogismus demonstrativus, & quidem in modo Barbara ac Celarent.

Quotuplex est syllogismus Demonstrativus?

Duplex: alius est perfectus *τὸ δὲ διότι*,
N ubi

ubi effectus seu affectio de subjecto per causam proximam demonstratur. Alius est is &c. ubi affectio subjecto inesse probatur per causam remotam vel effectum.

Qui sunt canones de syllogismo demonstrativo perfecto seu τὸν δὲ δὲ?

1. Demonstratio perfecta magnam habet cognationem cum perfecta accidentis definitione. Ratio est, quia omnia, quae perfecta definitioni in sunt, vel certe praecipua saltem, ut causa Efficiens, finis, & subjectum: eadem quoque in sunt in demonstratione: V. G. Eclypsis lune est interpositio terrae diametralis inter solem & lunam. Haec certe definitio tantum positione terminorum differt a demonstratione, quae talis est. Eclypsis est privatio luminis in luna propter diametralem interpositionem terrae inter solem & lunam. Usque adeo demonstratio & definitio accidentium causalium magnam inter se habent cognationem;

Interea tamen praestat etiam differentias Demonstrationis & definitionis observare.

I. De.

1. Definitio pertinet ad primam mentis functionem, videlicet simplicium apprehensionem: Demonstratio ad certam mentis functionem, videlicet ad syllogismum.

2. Definitio declarat rei essentiam: demonstratio vero rei proprietates.

3. Definitio aequè substantys ac accidentibus notificandis conducit: Demonstratio vero servit solis accidentibus.

4. Omnis demonstratio revocanda est ad definitionem, non contra. Ex his jam constat, quid sit discriminis inter definitionem & demonstrationem, & quid definitio demonstrationi praestet.

2. Inveniuntur etiam demonstrationes negativae sed rariores.

3. Inveniuntur quoque praesertim in Mathematicorum commentariis par-

N 2

ticu-

ticulares demonstrationes, sed ad universalem rationem comparata, ut: Quaecumq; linea aequae inter sua extrema interjacet, est recta. Atqui haec linea $\alpha - \beta$ aequae inter duo extrema interjacet. Ergo.

Quomodo argumentatio instituitur in demonstratione perfecta?

Posita causa cujuscumq; rei necessaria, proxima, & immediata, ponitur effectus: sublata aufertur, ut: Quicquid habet materiam, est mobile. Omne corpus naturale habet materiam. E. Quicquid habet animam vegetantem, habet vim generandi sibi simile. Omne corpus vivum habet animam vegetantem. E. Quicquid habet animam sentientem, habet vim appetendi & sentiendi. Omne animal habet animam sentientem. E.

Exempla Theologica sunt sequentia.

An summum jus summaq; auctoritas interpretandi scripturas sic penes solum Spiritum Sanctum per scripturas loquentem! Affirmo tali syllogismo Demonstrativo. Cuius solius est operari fidem in cordibus hominum, penes illum etiam solum est summum jus summaq; auctoritas interpretandi scripturas. Atqui solius Spiritus Sancti, quatenus per scripturas loquitur, proprium munus est operari fidem

ri fidem in cordibus hominum. E. penes solum Spiritum Sanctum, quatenus per scripturam loquitur, est summum jus summaq; auctoritas interpretandi scripturam. Et per consequens, Ecclesiae hoc jus ascribi nec potest, nec debet.

Sic quaeritur, anne DEUS unus sit numero essentiali, trinus numero personali! affirmo tali syllogismo demonstrativo. Quot personas verbum DEI exprimit in DEitate, tot etiam erunt personae. Atqui verbum DEI tres exprimit personas in DEitate. E. tres etiam erunt personae. Item: Quicquid verbum DEI de tribus DEitatis personis asserit, id nos credere debemus. Atqui verbum DEI de tribus DEitatis personis asserit, quod unum sint. E. etiam nos id credere debemus. Minor utrobique stabilitur hoc dicto: 1. Ioh. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.

Sic quaeritur, an omni praesentiae maiestas vere ac realiter carni Christi sit communicata? affirmo tali syllogismo Demonstrativo. Quicquid non in locum aliquem, sed in ipsam illocalē hypostasim loqu, ad quam nulla prorsus locorum intervalla pertingere possunt: imò in qua omnis cogitatio locorum omnium penitus expirat, est assumptum: illud hac ipsa assumptione evectum est supra omnem localitatem, Atqui caro Christi per unionem cum logo assumpta est imò intra illocalē hypostasim loqu. E. caro etiam Christi supra omnem localitatem evecta sit, necesse est.

Sic quaeritur, anne iusticia nobis in herente, an vero

justicia Christi per fidem nobis imputata justificemur? Prius negamus contra Iesuitas, posterius affirmamus tali apodixi. Quisquis remissis peccatis justificatur, ei justitia ex operibus inherens justitiae esse nequit. Atqui omnes salvandi justificantur remissis peccatis, Rom. 4. Ergo.

Sic quicumque imputatione fidei justificatur, is ob inherentem justitiam sive ex operibus justificari nequit. Atqui omnes salvandi imputatione fidei justificantur Rom. 4. Ergo.

Item: Justitia Christi qua salvamur, est justitia in Eo angelio patefacta, absque lege per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes credentes Rom. 3. v. 22. Iam habitus justitiae infusus non potest dici patefactus absque lege. Lex enim justitiam legalem, hoc est, charitatem & impletionem operum maxime praecipit. E. justitia Christi, qua salvamur, est alia, quam charitas infusa sive justitia inherens: ea nimirum, quam DEUS peccatori gratis imputat absque operibus Rom. 4. v. 6.

Sic quaeritur, an homo reatus & Christianus certus possit esse de salute sua, an vero perpetuo de ea dubitandum illi sit? Prius affirmamus, posterius negamus contra Iesuitas. Sit ergo talis apodixis: Quod habet justitiam oppositam peccato & damnationi id habet pacem conscientiae. At Christiani habent justitiam oppositam peccato & damnationi. Ergo. Minor supra est probata. Sic denique quaeritur, an electio sit absoluta, an vero ordinata? Prius negamus, posterius contra Calvinianos affirmamus

alii

tali apodixi. Quicumque eliguntur in certo aliquo objecto, illi non absolute sed ordinate eliguntur. Atqui electi omnes in Christo sunt electi Ephes. 1. v. 5. E. non absolute sed ordinate sunt electi. Haec de exemplis Theologicis.

Exempla demonstrationis Philosophica.

1. Cujus vulneris extrema longius a se distant, id difficilius consolidatur. At vulneris orbicularis extrema longius distant. E. difficilius curatur.

2. Sic quodcumque qualitatem ex collisione in aere solidorum corporum, excitatam auribus recipit per medium audibile, ita ut sonus membranarum aurium inclusus ab exteriori aere impellatur, illud sonos percipit. At omne animal, quatenus audiendi sensu praeditum percipit auribus qualitatem ex collisione duorum in aere solidorum corporum excitatam, ita ut qualitas illa per medium audibile in aures delata, & aer exterioriorem aerem membranarum aurium inclusum efficiat. Omne igitur animal, quatenus audiendi sensu praeditum, sonos percipit.

3. Quodcumque sonus in aere diffusus in solidum aliquod corpus impingit, ab eoque violenter repulsus, in contrariam partem fertur, atque ita saepius ab uno solido corpore ad alterum repellitur, tum evenit primi soni geminatio. At quoties Echo in aere excitatur, tum primus sonus in aere diffusus ad solidum corpus impingens, in contrariam partem rejicitur, ibidemque propter objectum solidi corporis in aliam partem repellitur, idque saepius fit,

prout loci natura fert. Ergo quotiescunq; in aere Echo excitatur, primus sonus ingeminatur.

4. In quacunq; aqua sol calore suo, quicquid dulce est, quotidie in vapores resolvit, & quod gravius est, remanet: cui item exhalationes calore solis adusta commiscetur, ab usq; efficiuntur, illa salsum & amarum sapor em contrahit. At in mari utrumq; evenit. Ergo aqua marina salsa est.

5. Quicquid ex generis & differentie ratione perfectum est, id est, quocunq; corpore omnia corpora reguntur & terminantur, illud absolute perfectum est. At caelesti corpore tanquam extremo corpore omnia regantur, eiusq; tactu omnia terminantur. E. illud est absolute perfectum.

6. Quod ex subjecto ridiculo & jucundo cognito habet commotionem cordis & diaphragmatis cum amabili motu musculorum circa latera buccarum, id ridet. At homo habet. E. ridet.

7. Cui fervet sanguis circa cor accensus, cupiditate repellendi rem molestam, irascitur. At animali sanguineo fervet sanguis &c. Ergo irascitur. Hactenus de exemplis.

Quid est demonstratio imperfecta?

Demonstratio imperfecta est cujus medium sumitur ex loco effectus sive causa remota: vel ubi ab effectu progreditur ad causam.

Quæ

Quæ est hîc ratio argumentandi?

Posito effectu necessario ponitur causa, & sublato effectu necessario tollitur causa. V. G. Sit questio, an infantes sint peccatores? affero medium ex effectu, quia ægrotant & moriuntur. Sic an ibi sit ignis? quia fumat. An ebrietas sit mala? quia ledit sanitatem. Sic in Papatu vera fuit Ecclesia. Ergo etiam verum ibi fuit verbum. Si doctrina vera: Ergo etiam veri doctores. Hæc enim ut conjugata se mutuo argunt. Sunt autem doctores veri vel per se, vel per accidens, Per se, qui directe & secundum intentionem suam verbum DEI purum docuerunt, prælegerunt, sacramenta administraverunt. Per accidens, quando DEUS illo- rum ministerio etiam præter intentionem pro sua omnipotentia, secundum quam etiam instrumento imperfecto, perfectum opus efficere potest, in mentibus electorum informandis usus est. Patet id exemplo Phariseorum ante Christi adventum. Itæ exemplis teroboami in regno Israel: Ioram & Ahazi in regno Iuda: quorum temporibus nullum fuit in orbe incorruptum ministerium publicum.

Potestne demonstratio imperfecta reduci ad perfectam?

Potest omnino per regressum. Fit autem regressus, quando major propositio

hinc

ad N. 5. hinc

no simpliciter convertitur, minor vero
 Et conclusio transponuntur: v. G. Queritur, an dies sit? respondeo ex effectu, quia sol ortus est. Syllogismus esto talis: Quando sol ortus est, dies est. Hodie sol ortus est. Ergo dies est. Converte maiorem simpliciter hoc pacto. Quando dies est, sol ortus est. Conclusionē transpone loco minoris ita: At hodie dies est. Minorem pone loco conclusionis. Ergo sol ortus est. Idem tenta in his exemplis: An non homo respiret? quia vivit. Sic an luna lumine suo crescat & decrescat? quia est globosa. Atque hactenus de natura syllogismi Demonstrativi.

DE METHODO.

Estne methodus conjungenda cum demonstratione?

Omnino: Ut enim veritatem alios docere, accidit demonstrati: ita illi propter hunc finem accidentarium accidit ordo sive methodus. Demonstratio enim facit ad cognitionem simpliciter: ordo tantum ad cognitionem faciliorem. Ut itaque recte id, quod facit ad bene esse, referimus ad id, quod simpliciter esse largitur: ita etiam ordo recte refertur ad demonstrationem.

Quid

Quid ergo est methodus?

Methodus est habitus Logicus ad veritatem docendam & aliis proponendam nobis inserviens. Atque hac methodus generaliter sumpta in ordinem & methodum specialiter ita dictam dividitur.

Quid est ordo?

Ordo est instrumentum, quo res in disciplinis pertractandas ante vel post collocamus ob meliorem disciplinarum illarum cognitionem.

Quotuplex est ordo?

Ordo est duplex: Universalis & Particularis. Universalis est, qui integram respicit artem, qua tota illo disponitur.

Atque Universalis alius est vel Syntheticus vel analyticus, Compositivus & Resolutivus.

Quid

Quid est ordo Syntheticus?

Ordo Syntheticus seu Compositivus est, qui à principijs progreditur ad ea, quæ constant ex principijs, ut fiat perfecta rerum cognitio. Hoc ordine Physica, Metaphysica, & Mathematica traduntur.

Quid est ordo Analyticus seu Resolutivus?

Qui à proposito ultimo sine progreditur ad prima principia investiganda, quibus finis perficitur. Hoc ordine disponuntur Grammatica, Logica, Ethica, Iurisprudentia, & ipsa etiam Theologia.

Quid est ordo particularis?

Qui tantum partem alicujus disciplina respicit & disponit. Estq; vel thematis simplicis vel conjuncti, de quibus thematibus in praxi Rhetorices fusius agitur.

Quid

Quid deniquè methodus Speciatim accepta est?

Est habitus Logicus, quo illa probamus, quæ per ordinem vel antè vel post posita sunt, idq; ideo, ut perfectam rerum cognitionem consequamur. Hujus methodi species sunt duæ. Demonstratio $\tau\omicron\upsilon\iota$ $\mu\omicron\lambda\upsilon$ & Demonstratio $\tau\omicron\upsilon\iota$ $\delta\eta$, de quibus supra egimus. Hæc de methodo.

DE DOCTRINA TOPICA.

Quibus præceptis absolvitur doctrina Topica?

In doctrina Topica resumuntur termini Logici, qui in prima parte Logica traditi sunt: at non resumuntur eà natura proprietate, non eo fine, non iis regulis & canonibus: sed quatenus argumenta sive medi termini inde nascuntur: atq; adeo, quomodo id, quod suà natura

natura simplex & separatim est, possit quoq; deinceps actu conjungi ad construendum syllogismum. Itaq; iidem termini Logici, qui in libro primo erant loci explicationis, siue instrumenta explicandi questionem simplicem: nunc in doctrina Topica fiunt loci inventionis syllogistica siue loci probationis, & instrumenta confirmandi vel refutandi questionem conjunctam.

Possidetne Topicus suos locos jure suo?

Minimè: Talia enim universalia principia siue maxima Topica domi ejus non nascuntur: ideo Topicus eas consulit scientias, à quibus hac mutuari, & quasi precario obtinere, ac ad usum suum transferre possit. Istius modi autem sunt tres universales scientia: 1. est Metaphysica: 2. Logica: 3. Grammatica.

A Metas

A Metaphysica igitur mutuatus est Topicus omnes terminos reales, quos habet, videlicet, causam, causatum, totum, partes, subjectum, adjunctum, similia, opposita.

A Logica ipsa mutuatus est, Genus, Speciem, definitionem, divisionem.

A Grammatica vero Conjugata & casus, Etymologia siue notationem nominis. Ita scilicet Topicus suos locos jure mutuatio obtinet, atq; in eorundemq; principiis utitur propter rei dubie probationem.

Estne inter locos Topicos par concludendi necessitas?

Minimè: Stulte enim arbitreris ex loco Notationis nominis siue Etymologia tam validum posse argumentum desumi, quam ex loco definitionis, generis, aut speciei. Quare etiam hoc in resolutione syllogismi Topici diligenter attendendum est, ut cognoscas, ex quo loco desumptum sit medium, & quemadmodum is locus concludere possit. Illæ enim rationes, quæ ex subjecti vel predicati definitionibus, differentiis, propriis, speciebus, vel generibus afferuntur, sumun-

tur

tur ex ipsa problematis natura, & fortius concludunt, quàm qua extra naturam problematis afferuntur, ut sunt: *Opposita, similia.*

Estne discrimen inter syllogismum Demonstrativum & Topicum?

Est omnino: Syllogismus Demonstrativus necessario concludit: Topicus vero contingenter. Deinde principia demonstrationis sunt propria & adæquata: Maxima vero Topica variis rebus concludendis adhiberi possunt. V. G. ex loco oppositorum Maxima hæc est Topica: Contrariorum contrariæ sunt sequentiæ. Hoc axiomate evinco, quod voluptas sit bona & naturæ accommodata: quia dolor voluptati contrarius sit malus, & naturæ inimicus. Hoc eodem axiomate probò, albedinem discutere visum, quia nigredo ejus contrarium visum congregat. Hoc ipso axiomate utuntur contra nos Pontificii, argumentantes hoc patet: Mala opera damnant. Ergo bona opera justificant. Ita jam constat, quomodo Topicus sub natura universalium principiorum per omnes scientias vegetetur, atq; eadem variis rebus accommodare possit.

DE

DE LOGIS, QVOS TOPICUS à Grammatico mutuatur.

Quæ sunt Maximæ seu principia Topica à notatione nominis sive ab Etymologia?

1. *Cui definitio & notatio nominis tribuitur, ei etiam definitum tribuitur: & de quo definitio & notatio nominis negatur, de eo etiam removetur definitum: ut: Quicumq; habet consentientem laudem bonorum, & incorruptam vocem bene judicantium de sua virtute, is habet gloriam. Atqui Socrates habet consentientem laudem bonorum &c. Ergo. Sic Quicumq; est virtute noscibilis, is est verè nobilis. Ad hic vel ille est virtute noscibilis. Ergo. Sic præest edi sacræ. Ergo est editus. Est ab humo sumptus. Ergo est homo. Non est amator sapientiæ. E. non est Philosophus.*

2. *Cum definitio nominis est adæquata definito, tam affirmativè quàm negativè valet consequentiæ, ut: Prædicat futura. Ergo est Propheta. Non prædicat futura. Ergo non est Propheta. Dat consilium. Ergo est consiliarius. Ipse est Iesus. Ergo salvabit populum. Maria non est Iesus. Ergo Maria non salvabit populum suum.*

O

3. Cum

3. *Cum definitio & notatio nominis definito ac notato latius patet, consequentia tantum valet negativè*, ut: Non est multis communis aliquot conviviarum victus. Ergo non est cena. Cena enim est à Græco *κοίτη*. Sic *non est de meo tuum*. Ergo non est mutuum. Non utitur *summis*. Ergo non sunt *Σύμματα*. Sic Episcopus quasi *bey den Schaafen*. Hæc autem definitio nominis latior est suo definito, ac proinde negativè tantum non affirmativè concludendum. Non est *bey den Schaafen*. Ergo non est Episcopus.

Notabis vero falsas & allusivas notaciones nominum nullius esse efficaciz in argumentâdo. Sic ex falsa notacione quidam argumentati sunt: aquam esse principium primum, derivantes aquam quasi à quâ omnia. Sic ex falsa notacione Esau argumentabatur: Frater meus vocatur Iacob: Ergo est supplantator. Iacob enim non dicebatur à supplantando, sed à planta pedis fraterni, quam manu tenuerat, cum nasceretur. Hæc de notacione nominis.

Quæ sunt maximæ seu principia Topica à conjugatis & casu?

Posito uno conjugatorum ponitur & alterum, & sublato uno tollitur alterum, ut: Vbi bonæ literæ amantur, ibi & literati amantur. At inter barbaros bonæ literæ non amantur. E. ibi

ibi nec literati amantur. Item: Quorum DEUS est unus, eos decet servare unitatem. At Christianorum DEUS unus est. Ergo. Sic Pontificii arguantur, Quicumq; ab ordinaria defecit vocatione, is non est ordinarius Ecclesie doctor. At Lutherus ab ordinaria defecit vocatione. B. non est ordinarius Ecclesie doctor. Respondeo, *numquam ut pote falsam negamus. Nam à vera & legitimâ vocatione non deficit, qui finem & modum veræ vocationis observat. Ab abusu quidem concedo defecisse Lutherum, sed non à vero usu vocationis. Itaq; sic injurimus contra Jesuitas: Vos Pontificii Lutherum vocantes, ordinantes, creantes, aut legitime vocastis, aut illegitime. Si legitime vocastis, rectè fecit Lutherus, quod verbum DEI purum & sincerum, prout ab initio traditum fuit, auditores suos docuit. Si illegitime vocastis, rectè fecit Lutherus, quod à vocatione vestra discesserit, & personatæ successioni, quam inter vos habuit, veram doctrinæ successionem adjecerit, & abusui, qui ad mixtus erat, renunciaverit. Substantiam enim non tollit, abusum qui aufert.*

2. *Quod tribuitur uni conjugatorum, etiam alteri tribuitur, ut: Doctrina hodie contemnitur. Ergo & docti contemuntur. Ingratitudo est grave delictum; Ergo & ingrati graviter acrimoquuntur.*

Notabis vero accuratè, circa hæc argumenta aliquot opus esse cautionibus.

1. Ne propter vocum convenientiam statim judicemus esse Logicam conjugationem, ut: Capit somnum. Ergo est somnolentus: Non valet, quia somnus & somnolentus non sunt conjugata Logica.

2. Ut vitetur ambiguitas in conjugatis. Ideo non valet: Mortales sumus. Ergo tantum mortalia curare debemus. Vox enim (mortalia) est ambigua, quia sumitur pro rebus caducis, cum propriè significet res ad mortem hominis spectantes.

3. Videndum, ut sit plena conjugatorum unio, ne ex una actione inferatur habitus. Non ergo valet: David tyrannicè egit interficiendo Vriam. Ergo est tyrannus. Cambyses iustè fecit excoriando iniustum judicem. E. fuit iustus. Hic semel fuit ebrius. E. est ebriosus.

4. Non valet, quando conjugata non ad se, sed ad aliud referuntur, ut: Æger potest esse sanus. E. ægrotudo potest esse sanitas: quippe vox (æger) non refertur ad ægrotudinem, sed ad hominem ægrotantem. Sic: homo est peccator. E. homo est ipsum peccatum. Vbi similiter terminus abstractus commiscetur cum concreto. Idem statue de his: Nigrum est amarum. E. nigredo est amaritudo. Malum est fugiendum: Scientia est mali. E. scientia est fugienda. Vbi casus obliquus
rectia

rectificetur, & sic falsitas apparebit. Hæc de locis, quos Topicus à Grammatico mutuatur.

**DE LOCIS, QVOS TOPI-
cus à Logico mutuatur.**

Qui sunt isti loci?

Sunt sequentes: Genus, Species, individuum, definitio, divisio.

Quæ sunt maximæ Topicæ à genere.

1 Cui tribuitur genus, ei necesse est, aliquam tribui speciem per divisionem evolutam, ut: Est animal. Ergo est homo vel brutum. Est peccatum. Ergo est vel originale, vel actuale, Est verbum DEI. Ergo est vel lex vel Evangelium. Est virtus. Ergo est vel moralis vel intellectualis.

2. Remoto genere removetur species, ut: Nulla opera justificant. Ergo nec monastica. Nullus infidelis salvatur. E. nec Turca, nec Iudæus, nec Ethnicus.

3. Melanthon inquit: A superiori, hoc est, à genere cum signo universalis ad inferius, hoc est: speciem, valet con-

Sequentia affirmatiue & negatiue, ut:
 Omnes artes sunt cognate. Oratoria & Poësis sunt artes. Ergo sunt cognate. Sic: Omne animal spirat. Ergo & pisces spirant. Negative: Nulla dona DEi sunt vituperanda. Ergo nec artes liberales sunt vituperanda. Non est animal. E. non est homo.

4. *A genere sine signo generali ad speciem tantum negatiue ducuntur argumenta, ut:* Lapis non est animal. E. nec est homo. Mulum non est vinum. E. nec est maluaticum. Non ergo valet: Sancti sunt honorandi. E. sancti sunt invocandi. Pontificii sunt Ecclesia: E. sunt Ecclesia vera. Quia à genere ad speciem sine signo generali affirmatiue non valet consequentia.

5. *In disparatis à genere negatiue non valet consequentia, ut:* Homo est animal. Ergo equus non est animal. Calibatus est bonus. E. matrimonium non est bonum.

Quæ sunt maximæ Topicæ à specie?

1. *Cui tribuitur species, eidem etiam necesse est genus tribui sed particulariter, ut:* Est homo. E. est quoddam animal. E. & Iesuita. E. & monachus quispiam.

2. A spe-

2. *A specie ad genus tantum affirmatiue ducitur argumentum: quia remotà unà specie non statim removetur totum genus, ut:* Non valet: Non tenet Musicam. E. nullam artem tenet. Logica non est scientia. E. non est habitus. Sic: Iusto non est lex terrens, accusans ac damnans posita. E. iusto plane nulla lex est posita: ne quidē quatenus lex est norma bonorum operum. Rectè respondetur: à specie ad genus affirmando tantum, licet argumentari, nisi plena fiat enumeratio omnium specierum. Item: ab unius usus negatione vitiosè instituitur collectio ad negationem omnium simpliciter usuum.

3. *Cui omnes species adimuntur, eidem etiam genus adimi necesse est, ut:* Sacramentum novi Testamenti est vel baptismus vel cena. Extrema unctio & reliqua Papisica sacramenta non sunt vel baptismus vel cena. E. non sunt sacramenta. Sic: Verbum DEi est vel lex vel Euangelium. Traditiones Papæ neq; lex neq; Euangelium sunt. E. non sunt verbum DEi. Sic: Ficus non caret folys, nec fraxinus, nec messilus, E. nulla arbor caret folys.

4. *Species cum pars cum genere cum toto non convertitur simpliciter, ut non sequitur: Omnis homo est capax discipline. E. omne animal*

0 4

animal

animal est capax discipline. Nullus homo naturaliter caret visu. E. nullum animal naturaliter caret visu. Potest tamen hæc maxima Topica ex prima facile dignosci ac judicari.

Quæ sunt maximæ seu principia Topica de definitione?

Cum quo convenit vel non convenit definitio, cum eodem convenit vel non convenit etiam definitum: Et contra, cum quo convenit vel non convenit definitum, cum eodem etiam convenit vel non convenit definitio, ut: Pygmei sunt animalia ratione prædita. Ergo sunt homines. Approbatio aliorum rectè de nobis judicantium est expetenda. Gloria est approbatio aliorum rectè de nobis judicantium. Ergo gloria est expetenda. Omne corpus animatum sensibile est animal. Planta non est corpus animatum sensibile. E. planta non est animal. Simia non est animal rationale. E. nec homo. Sic quicumq; cætus sive in visibili & integro statu, sive in perturbata afflictâ ac proinde hominibus non conspicua polita doctrinam, quam Christus, propheta, & Apostoli Hierosolymis prædicarunt, & in universum terrarum orbem propagarunt, tredit, eamq; secundam analogiam fidei ex ipsa scriptura regulatam interpretatur, ille est vera Ecclesia. Adqui

Luther

Lutheranus cætus est talis. Ergo. Item: Sacrificium est actio, quia aliquid DEO offerimus. Sacramentum cæne non est actio, quia aliquid DEO offerimus. E. sacramentum cæne non est sacrificium. Omnis substantia est Ens per se subsistens. Peccatum non est ens per se subsistens. Ergo.

Quæ sunt principia atquè maximæ Topica à divisione?

Cui competit divisio, eidem etiam competit divisum: Et cui competit divisum, eidem etiam competit divisio. Cui vero non competit divisio, eidem nec competit divisum Et contra, ut: Christus habet corpus & animam rationalem. E. est verus homo. Scriptura sacra non præfigit certum tempus extremi iudicii, quia lex & propheta ac Evangelium non præfigunt certum tempus extremi iudicii. Necludei nec gentes justificantur bonis operibus. E. nulli homines justificantur bonis operibus. Omnis stella est vel fixa vel erraticâ. Cometa non est stella fixa vel erraticâ. E. cometa nō est stella. Sic omne peccatū est vel originale vel actuale. Christus nō habuit peccatū originale vel actuale. E. Christus non est peccator. Atq; hæc de locis, quos Topicus à Logico mutuatur.

Qui sunt loci, quos Topicus à Metaphyfico mutuatur?

Sunt sequentes: 1. Causa causatum, Subjectum adijunctum, totum & partes, objectum, antecedens, consequens, comparata, opposita.

Quænam sunt maximæ Topicæ ex loco causarum?

De causa Efficiente sunt sequentes maxima: 1. Posita causa efficiente in actu ponitur effectus, ut: Sol ascendit supra nostrum horizontem. E. dies est in nostro hemisphærio. Faber lignarius edificat. E. domus fieri cepit. Campana est impulsæ. E. sonus ejus auditur. Respub. non potest diu salva manere, quia in illa est discordia. Sic posita fide in homine: tum reliqua virtutes non tantum per ipsam diriguntur, sed etiam ex ipsa tanquam effectus per emanationem fluunt, & in justificatione hominis conservanda tanquam cause removentes impedimenta, nullo autem modo tanquam formales concurrunt. Ad sanctificationem autem virtutes formaliter requiri, non negamus.

2. Posita causa præogumena & procatartica probabile est poni effectum & remota tolli, ut: Illa virgo est pulchra. E. facile procum inveniet. Ille vir est modestus: E. facile promovetur. Ille princeps odit alterum, & gaudet impe-

rium suum dilatare. E. eripiet illi regnum. Sic: quicunque abundant flava bile, ii facile irascuntur. Cholericus abundant flava bile. E. facile irascuntur. Occasio se offerebat scribendi: Ergo ad te literas mitto: Instigavit alium ad eadem perpetrandum: E. est autor cædis. Quicunque discerpit Leonem, cum incesit spiritus Domini. At Simson discerpit leonem. E.

3. Qualis causa talis effectus. Hic casus non generalis est quadrupliciter limitandus. 1. Tantum valet in causis per se non per accidens. Unde non procedit: Hic sartor est vir pius & bonus. E. bonam vestem consuevit: quia vestem consuevit, non quatenus vir pius & bonus, sed quatenus artifex est.

2. Valet in causis naturalibus non universalibus sed particularibus. Non ergo valet: Effectus sive radii solis sunt calidi. E. & ipse sol est calidus: quia sol non est particularis sed universalis causa, & sol in se friget, luce vero & motu calefacit inferiora. Hæc autem valent: Glacies & nix sunt corruptibilia. E. & causa proxima nempe aqua est corruptibilis. Poma sunt corruptibilia. Ergo & causa proxima nempe arbor.

3. In causis voluntariè agentibus, si scilicet ejusmodi sibi effectum conformem volunt producere. Sic bonus poeta bo-

num potest conscribere carmen, si velit, alias etiam malum potest conscribere.

4. Deniq, saluo manente modo recipiendi in eo, quod effectum recipit. Actio enim agentis non recipitur per modum agentis, sed secundum dispositionem recipientis. Sic non valet illud Iesuitarum: Opera Spiritus sancti sunt perfecta: Bona opera sunt Spiritus S. opera. E. bona opera sunt perfecta. Mafor loquitur de operibus Spiritus Sancti, quæ extra nos operatur, Minor de iis, quæ in nobis operatur, quæq; pro subiecti recipientis conditione sunt imperfecta. Sic: Christus eodem quidem modo se habet illuminando Ecclesiam, si tantum disposita ita sit Ecclesia, ut radios semper eodem modo recipere possit.

4. Positis instrumentis probabile est effectum poni, & iisdem sublatis tolli. Item: posito effectum probabile est, instrumenta esse posita. Quicumq; infans utitur cultro acuminato, is se facile ledit. Atqui hic vel vel ille infans utitur cultro acuminato. E. Utitur bonis medicamentis: E. facile convalescet. Sic negativè: Papa Romanus non est caput Ecclesie Catholice, quia neq; à Christo, neq; à Petro atq; aliis Apostolis, neq; ab Ecclesia Catholica, neq; à Constantino Magno, neq; per verbum Dei est constitutus caput Ecclesie. Idola gentium non sunt dii, quia manibus humanis fiunt. Vocatio Evangelicorum ministro

rurum

rum est legitima, quia facta est per Ecclesiam secundum præscriptum verbum Dei. Sacra scriptura est veracissima, quia est exarata per prophetas, Evangelistas, & Apostolos.

Quæ sunt maximæ Topicæ de causa materiali?

1. Qualis materia tale materiaturum, ut: Papyrus est ex linteo crasso. Ergo & ipsa est crassa. Pannum optimum emi: Ergo tunicam bonam inde consicere possum. Hinc vulgò dicitur: Diversa materia variant rerum dignitatem, ut: Thorax aureum est pretiosior ferreo.

2. Posita vel sublata materia ponitur vel tollitur materiaturum, ut: Corpus hominis est mortale, quia ex elementis ortum est. Idola gentium non sunt dii, quia sunt ex auro & argento facta. Cruces erectas diabolus non timet, quia nihil sunt aliud quam lignum, aut lapis, aut metallum. Omnis spiritus carnem & ossa non habet. Angeli sunt Spiritus. Ergo. Nulla stella generatur ex fumo sursum elevato & accenso. Omnis cometa generatur ex fumo sursum elevato & accenso. E. nullus cometa est stella.

3. Posita materia ponitur etiam determinata materia forma, ut: Pygmei habent corpus humanum. E. etiam habent formam humanam.

Aurum

Aurum Alchymisticum non habet materiam auri. E. non est aurum.

Quæ est maxima Topica de forma?

I. Cui forma tribuitur vel adimitur, ei etiam formatum tribui vel adimi debet, ut: Quæcunq; Ecclesia habet puritatem verbi & sacramentorum, illa est vera Ecclesia. Atqui Lutherana habet &c. Quicquid habet animam insitam, id est animal. Stelle non habent animam insitam. E. stelle non sunt animalia. Concupiscentia in re genitis est peccatum, quia repugnat legi Dei. Omnes homines habent conscientiam, quia sunt præditi anima rationali. Sic forma sacramenti consistit in dando & accipiendo. At in circumgestatione corporis Christi theatra neq; dans neq; accipiens est. Ergo etiam nec Sacramentum. Quid ergo? nudus panis circumfertur: quia non dimidiata: Hoc est corpus meum: sed integra Christi verba: Accipite edite, hoc est corpus meum, efficiunt sacramentum.

Quæ sunt maximæ Topicæ à fine?

I. A fine voluntario ad media & ab his ad finem contingens est illatio, ut: Qui appetit eruditionem, appetere etiam debet studium artium & linguarum. Atqui tu appetis eruditionem. Ergo. Sic: Qui

Quicunq; vult Dunam transmittere, is debet uti cymba. Atqui tu vis Dunam transmittere. E. Quicunq; vult servare adificationi Ecclesie, is lectionem sacrarum liberarum in publicis Ecclesie catibus lingua vulgari & populo cognita peragere debet. Atqui pastor Ecclesie vult servare adificationi Ecclesie. E. Creati sumus ad imaginem Dei. Ergo ad universos homines caritatem nostram extendere debemus. Creati est viri causa. Ergo non debet uti auctoritate in virum. Discere debemus statuta Iehove. Ergo humiliari nos à Deo oportet.

2. Propter quod unum quodq; tale est, illud magis tale est.

Hic canon Topicus valet quatuor limitationibus observatis. **I. Causa debet esse per se non per accidens.** Unde non valet: Hic insanit propter vinum. Ergo vinum magis insanit. Hic est intemperans propter febrem. Ergo febris magis est intemperans. Hic est doctus propter præceptorem. Ergo præceptor magis est doctus. Quia non inest præceptori per se, doctum habere discipulum, sed id illi accidit.

2. Requiritur, ut affectio illa, à qua talis denominatur causa & effectus, utriq; insit, Non ergo valet: Ille natus est ex patre scortatore & apostata. Ergo & ipse est scortator & apostata.

apostata. Item: Hæc res calet à sole: Ergo sol magis calet. Culter acutus est propter cotem. Ergo eos acutior.

3. *Ut recipiat magis & minus.* Non ergo valet: Filius est homo propter patrem. Ergo pater magis est homo. Quia (homo) substantia non recipit magis & minus. Hoc est compositum propter materiam & formam. Ergo materia & forma sunt magis composita.

4. *Valet in causis finalibus, quatenus finis habet rationem causæ efficientis & quidem impulsivæ, ut:* Opes optantur propter vitam. Ergo vita magis optatur. Christus voluit assumere carnem propter salutem nostram. Ergo salutem nostram magis voluit.

Verum in eiusmodi exemplis accuratè videndum, ut media ipsa cum finibus, non subjecta ipsa cum subjectis componamus. Nulla enim est consequentia: Christus est propter nos. Ergo nos sumus Christo potiores. Verbum est propter Ecclesiam: Ergo Ecclesia verbo potior.

His quatuor limitationibus observatis valet canon. Unde rectè secundum maximam hanc Topicam concludes: Credo huic conclusioni propter principia: Ergo principis credo magis. Item: Aristotel' credo propter veras, quas habet, rationes. Ergo rationibus magis credo. B. Luthero credo propter verbum DEi. Ergo verbo DEi magis credo. Unde etiam sic poteris argumentari contra Iesuitas: Aut verè aut non verè interpretatus est scripturam

ram Lutherus. Si verè, nemini obest. Si non verè interpretatur, etiam sic nemini obest, quia sibi nō immediate credit, sed ad canonem scripturæ sua revocare atq; probare iussit. Hoc canone poteris feliciter uti contra Iesuitas hoc pacto: propter quod unum quodq; tale est, illud magis tale est. Atqui articulus de Sacrosancta Trinitate propter auctoritatem & ratificationem Papæ est infallibilis. E. auctoritas & ratificatio Papæ magis est infallibilis. Major est in Logica indubitata: Minorem ponunt & affirmant Iesuite: Conclusionem igitur in dubium vocare haud poterunt.

Quænam est maxima Topica à causato seu effectu?

Sicut à causa ad effectum: ita etiam à causato sive effectu ad causam argumentaris tam affirmativè quam negativè, ut: Qui claudos, cæcos, & reliquos sanat ægrotos, & pauperibus Evangelium annunciat, is est verus Messias. Christus hoc fecit. Ergo. Munera excæcant oculos mentis, ne id, quod rectum & æquum est, videant. Ergo munera a iudicibus non sunt captanda. Ebricitas corrumpit sanitatem animi & corporis. Ergo est fugienda. Adulatores corrumpunt bonorum principum animos. Ergo adulatores ab aulis sunt arcedendi.

Contra Iesuitas sic poteris argumentari: Cuicumq; præstantior effectus tribuitur, illud merito alteri aut fertur, cui ignobilior effectus tribuitur. Sed operibus nostris seu

Justicie inherenti à Iesuitas tribuitur præstantior effectus, nimirum salus & vita æterna, quæ ex condigno operibus debetur: & Christi merito tantum tribuitur id, quod nobis illam justiciam inherenter meritum sit. Ergo Iesuite merita nostra merito Christi longè anteponunt. Item: Aut justificationis primæ, aut secundæ est mereri vitam æternam. Si primæ: at quid ergo secundæ? Si secundæ, constat luculenter, Iesuitas verè accusari, ipsos suis operibus mereri velle vitam æternam: quia justificatio secundæ consistit in inherente illa justiciâ, qua homo tandem promeretur vitam æternam.

Si Iesuitæ à Luthero exigunt hunc effectum, nempe miracula. Respondeo, cadente hypothese ex immediatâ vocatione & nova doctrina extructa, concidit illud, quod inde fabricatur.

Si queritur, an verbi divini auctoritas dependeat ab Ecclesia? Nego ex effectu: Quia omne mensuratum realiter dependet à mensura: at non e contra, mensura realiter dependet à mensurato. Sed verbum DEI & verus illius intellectus sive interpretatio est mensura Ecclesiæ: unde actio & ratio & definitio Ecclesiæ verè dependet. Ergo verbum DEI & verus illius intellectus non dependet ab Ecclesia. Et per consequens: Ecclesia non poterit facere sua principia, unde essentia ipsius constituitur.

Quænam sunt maximæ Topicæ à subjecto?

I. Cui subjectum proprium tribuitur

vel

vel adimitur, ei etiam propria accidentia tribui vel adimi necesse est, ut: Omne corpus est quantum. DEUS non est corpus: E DEUS non est quantus. Christus est: verus DEUS. Ergo habet potestatem remittendi peccata. Purgatoriu non est Ens: E nec habet entis qualitates. Soli DEO Domino nostro debetur servitus religiosa. Ergo non est exhibenda sanctis demortuis.

2 Cui tribuitur vel adimitur subjectum commune, ei etiam tribui vel adimi necesse est communia accidentia, ut:

Quicumq; est lupus, is habet quatuor pedes. Homo non habet quatuor pedes. Ergo homo non est lupus. Est res tensis. Ergo mendax. Est mater: Ergo ardentè amat filium: Est amans, Ergo etiam amens: Est senex: Ergo etiam timidus & querulus: Concupiscentia carnis est mala. Ergo ad illicita fertur.

Quæ sunt maximæ Topicæ ab adjunctis?

I. Cui tribuitur vel adimitur accidens proprium, ei etiam propria accidentia tribui vel adimi necesse est: Qui-

cunq; habet scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem, is est bonus belli dux. Sed Mauritius Nassovius habet scientiam rei militaris &c. Ergo. Quis quid habet materiam terrestrem, id habet corpus grave.

At metalla habent materiam terrestrem. Ergo. Lapis trahit ferrum: Ergo est magnes. Succinum non trahit ferrum, sed tantum stipulam: Ergo succinum non est magnes. DEus est pater noster: Ergo nostri miseretur. Quicumque bonis literis excultus est, ut eruditè de variis rebus disserere potest. Adolescens iste bonis literis excultus est. Ergo.

2. Cui tribuitur accidens commune, ei etiam commune subjectum est tribuendum: Et de quo negatur accidens commune, de eo etiam subjectum est negandum, ut: Levitate exultat: Ergo est iuuenis. Non excellit gravitate: Ergo non est senex. Est cucullatus: Ergo est monachus. Est morosus: Ergo est senex. Gestat diadema regale: Ergo est rex. Iste est Theologus. Ergo suo gregi bono exemplo præluere debet.

Quæ sunt maximæ Topicæ à toto & partibus?

1. Posito aut remoto toto, necesse est poni vel removeri partes, ut: Christus assumpsit totum hominem: Ergo etiam animam rationalem. Totus homo in æternum vivet: Ergo etiam corpus. Sacra scriptura est fundamentum totius Ecclesiæ: Ergo etiam fundamentum est pastorum: Omnia sacramenta semper integre pertinerunt ad Christianos. Ergo quoq; partes sacramentorum.

cramentorum. DEus condidit univ' sum mundum. Ergo & calum & terram. Hic studiosus totam Philosophiam audivit. Ergo etiam Geometriam & Astronomiam.

2. Quod convenit vel non convenit toti homogeneo, id etiam convenit vel non convenit parti, si scilicet prædicatum sit tale, quod secundum proportionem parti convenire possit: Alioquin toti homogeneo, quatenus totum est, multa tribuuntur, quæ parti non conveniunt: V. G. hæc valent. Tota aqua est humida: Ergo & quælibet pars aque. Totus sanguis rubet: Ergo & quælibet gutta sanguinis. Non autem valent: Cerevisia est seculenta: Ergo & quælibet pars cerevisiæ. Aqua spumat: Ergo & quælibet gutta aque. Sic valent: Totum Evangelium omnibus publicè prædicari debet: Ergo etiam doctrina de prædestinatione publicè omnibus prædicari debet. Tota imago DEi ad quam conditus erat Adamus, fuit ei naturalis: Ergo etiam iusticia originalis fuit ei naturalis.

3. Posito toto probabile est, partem integrantem minus principalem poni, ut: Est puer octennis: Ergo jam dentes produxit. Est vir: Ergo est barbatus. Tota domus pignori data est: Ergo etiam arca.

4. *Res in partibus vel omnibus vel maxime principalibus, ponitur totum, & remotis tollitur, ut: Is DEUM, & patriam, & parentes, & præceptores, majores & minores aebito cultu prosequitur: E. est pius. Sic: DEO & hominibus & unicuique suam tribuit: Ergo est justus. Fundamentum, & parietes, & tectum de æderantur: Ergo non est domus. Nulli conules & seniores, nulli cives & mechanici sunt: Ergo non est civitas.*

Quæ sunt maxime Topicæ à connexionis & circumstantiis?

1. *Posito vel remoto uno necessario connexo, etiam ponitur vel removetur alterum, ut: Christus visibiliter apparebit in nubibus: Ergo erit finis mundi: Ille est mendax: Ergo etiam est furax. Ille est multiloquus: Ergo est vanus. Ipse est superbus: Ergo est injustus. Nunc est bellum: Ergo sequetur pestis & famas.*

2. *Positis vel demptis circumstantiis loci vel temporis ponitur vel removetur adjectum: & posito vel remoto adjecto ponitur vel removetur circumstantia loci aut temporis, ut: Filius DEI fuit, ante.*

234
antequam esset Abraham: Ergo non fuit tantum homo, sed DEUS ab æterno: Oportuit Christum nasci in Bethlelem, & quidem stante politia Mosaica: Tam vero amplius mille quingentis annis oppidum Bethlehem est deletum & politia Mosaica eversa: Ergo necesse est Christum multo antè apparuisse. Sic: Cicero non est Romæ, cum Iulius Cæsar interficitur: Ergo eum sua manu non interemit. Homicidium in Iuliani Medicis persona conficio & adjuvante Pontifice Romano Sixto VI. perpetratum in templo contigit: Ergo est valde detestabile: Raphael Volateranus lib. 5. Geograph. Sic: Doctrina Lutheranorum nova est non ratione doctrinæ, quæ est vetustissima, sed ratione personæ repurgantis, adeoq; non nova, sed renovata potius dici debet. Sic ex circumstantia temporis vult sibi demonstrari Iesuita, quando corruptio irrepsit in Ecclesiam Papisticam; Certè si cum Arrio disputaret, & iste vellet, ut ostenderet Iesuita, qua hora & qua occasione ille scripturam depravaverit: nonne responderet Iesuita, sufficere sibi, scripturam ab Arrio depravatam esse, licet circumstantias omnes exactè & ad unguem recensere haud possit; Idem & à nobis responsum auferant: quod & corruptione alicujus testamenti probari possit.

Quæ sunt maximæ Topicæ ab objecto?

1. *Cui admittitur vel tribuitur objectum adequatum, eidem tribuitur vel*

adimitur, quod circa objectum versatur: contra, cui tribuitur vel adimitur res circa objectum occupata, eidem quoque tribuitur vel adimitur ipsum objectum, ut: Quicumque non est verus DEUS, non est adorandus. Maria & sancti non sunt verus DEUS. Ergo. Quicquid non est Christus, in eo fiduciam locare non debemus. Bona opera non sunt Christus. Ergo. Dii gentilium non sunt nobis metuendi, quia non sunt. Versatur circa curam corporis: Ergo est medicus. Nullus adest auditor: Ergo nulla potest haberi concio.

2. Posito objecto contingenti, probabile est poni id, quod circa illud versari solet, & remoto tolli, ut: Loquitur de rebus piis: Ergo est homo pius. Narrat de ventis: Ergo est nauta: Sedet ad colum: Ergo est mulier: Hic sunt multi egri: Ergo sunt hic multi medici.

Quæ sunt maximæ Topicæ ab antecedente & consequente?

1. Posito vel sublato necessario antecedente, ponendum etiam fuerit, vel removendum consequens, ut: Remisse sunt ei iniquitates. Ergo est justificatus. Fiduciam posuit in homine, & statuit carnem brachium suum: E. est maledictus.

Ei

Ei omnia adsunt bona: Ergo penes eum est virtus. Christus pro nobis impius & peccatoribus est mortuus: Ergo multo magis iam nos reconciliatos servabit. Ablatum est sceptrum de Iuda: Ergo Messias iam natus est: Per crucem humiliantur: Ergo etiam à DEO exaltabuntur. Naturaliter dormit: Ergo evigilabit. Impii superbiunt: E. pessum ibunt.

2. Posito antecedente contingenti, probabile est poni consequens, & remoto tolli, ut: Luna pallet: Ergo pluet. Luna rubet: Ergo venti existunt. Ingens cometa flagrat: Ergo pestis erit vel bellum. Mare albicat: Ergo tempestas erit.

3. Posito consequente necessario ponitur antecedens, ut: Quicumque mulier non vult dividere infantem, illa est vera mater. At hæc mulier non vult &c. Ergo. Quicumque cum DEO reconciliantur, illi habuerunt DEUM iratum. Sed mundus cum DEO reconciliatur: Ergo. Hæc mulier peperit: Ergo fuit gravida. Vir est: Ergo fuit puer. Infantes moriuntur: Ergo habuerunt peccatum.

4. Posito consequenti contingenti probabile est fuisse antecedens, & remoto eo probabile est non fuisse, ut: Inveniuntur filii dormientes in cubiculo interfecti patris: Ergo probabile est, eos eadem non fecisse. Mercator proiecit merces in mare: E. navis nimio onere fuit gravata. Pluvie iam stillant: Ergo caelum mane rubuit. Caelum est serenum: Ergo ranae sub crepusculum vesperinum coaxarunt.

P 5

Nota

Nota Logicos consuevisse peculiarem locum constituere à signis, & facere duplicia signa: alia contingentia, quæ *ἰνότα* vocant: Hic juvenis est pallidus: Ergo aut industrius est, aut amator, aut egrotat. Vidi hunc colloquentem cum inimico meo: Ergo & mihi est inimicus. Alia verisimilia Græci *ἰσχυρίαι* vocant: ut Aer infectus est: Ergo spiritus vitales inficiuntur. Hæc puella habet lac in mammis: Ergo non est virgo.

Sed sciendam, talia signa commodissime referri posse vel ad effecta vel ad accidentia communia, quatenus illa in sensus incurrunt, ideoq; non est necesse, ut peculiare Maxime Topica de signis constituantur.

Quæ sunt maxima Topica à comparatis?

Locus Comparatorum est vel à Pari vel à Simili: Itaq; Maxima Topica à Pari est sequens.

Paria paribus conveniant: & quod uni parium convenit vel non convenit, etiam alteri convenit vel non convenit, eo nimirum respectu, quo sunt paria. Melanthon inquit: Vocamus duo facta paria sive duas res pares specierum

rerum vicinarum sub eodem genere, quorum eadem est ratio, nec nullum antecedit alterum alteri, ut: Maccabeus pie fecit, quando necessitate urgente in sabbato preliatus est: Ergo & nos pie facturus: quando necessitate exigente etiam jam die Dominica (quæ nostrum est sabbatum) preliamur. Centurio laudatur, quod multa bona contulerit ad synagogæ Iudaicæ sustentationem: Ergo hodie eque laudantur, qui ad Ecclesiæ scholarum sustentationem quippiam legant. Qui Ecclesiæ iudicium contemnit, etiam Deum contemnit: Patri est obediendum: Ergo & matri. Iudæi puniti sunt ob idololatriam: Ergo Christiani etiam punientur. Deus abiecit templum Ierosolymitanum, quando factum est spelunca latronum. Ergo etiam Romam. Sic Christus ab æquæ & pariter difficili probat, se habere potestatem remittendi peccata, quia possit miraculose & in momento sanare paralyticum. Sic Christus defendit suos discipulos contra Pharisæorum calumniam, probans, licuisse ipsis esurientibus vellere spicas die sabbati, argumento probationis ducto à pari: quia licuerit Davidi rem parem facere, hoc est, vesci panibus propositionis, quibus alias vesci soli sacerdores debebant.

Quæ sunt maxima Topica à Simili?

Quod uni similitum convenit vel non convenit, etiam alteri convenit vel

vel non convenit: Et cui unum ex similibus convenit vel non convenit, ei consentaneum est, etiam alterum convenire vel non convenire, ut: Bovi triturranti datur pabulum: Ergo & docenti dandus est victus. Oculus regit corpus: Et ratio gubernat animam: Auris probatur igni: Ergo & amici rebus adversis cognoscuntur. Ut perdix colligit ovas, sed non excludit: Ita comparans divitias injuria mediis diebus suis derelinquet eas, & tandem erit stultus. Mortem fidelium non decet Christianos ultra modum lugere: quia est tantum somnus corporis tantisper dum adveniat dies Domini. Sic queritur inter nos & Pontificios, ane simus schismatici & seditiosi, ed quod divortio facto Papatui renunciavimus? Nego tali simili. Nam ut civiliter seditiosus non est, qui tyranno patriam opprimenti sese opponit: ita quoq; in spiritualibus seditiosi non sunt dicendi, qui errori & devastationi Ecclesiarum tum in Christi honorem, tum in Ecclesia salutem, animam suam pro nihilo putantes, sese ad sanguinem usq; opponunt, ex castris hostium discedunt, & Ecclesiam in libertatem vindicare conantur. Sic queritur, ane scriptura interpretatio dependeat ab Ecclesia? Nego à comparatis similibus. Sicut se verbum Dei ad primam cognitionem, sic etiam se habet ad interpretationem seu intellectum: Sed quoad primam revelationem se non habet, ut dependeat à Romana Ecclesia. Ergo neq; ad interpretationem se ita habebit. Et per consequens: Papa non erit mensura suprema interpretationis.

Dua

Dua autem hic cautela sunt observanda: I. Simile non est idem: Omnis similitudo claudicat; Nullum simile currit quatuor pedibus, hoc est nullum simile extra tertium comparationis membrum est extendendum. V. G. Sicut terra producit germen suum, & ut hortus sata sua producit: Sic Jehovah producturus est justitiam & laudem coram omnibus gentibus. Hic confertur terra sive hortus cum Jehovah, at non simpliciter, sed in uno tertio, nempe in productione germinis sui. Si extra hoc tertium simile extendes, male facies.

Secundo nota, similibus non esse utendum nisi prius iacto fundamento, hoc est, nisi causa prius bene munita sit aliis argumentis firmitioribus. Hæc de similitudine simplici.

De similitudine composita talis est maxima Topica: De proportionalibus idem est iudicium: & quod de uno secundum proportionem affirmatur vel negatur, id etiam de altero, V. G. ut se habet gubernator navis ad navem: ita se habet rex ad regnum:

258
gnum: Sed gubernator navis non ex natura sumitur, sed
iudicio eligitur: Ergo etiam rex iudicio eligi debet.

3. De paribus & similibus idem est
iudicium: & quod uni individuo ejus-
dem generis convenit, id etiam alteri:
& quod non convenit uni, id nec alteri,
ut: David & Petrus post lapsum cum penitentiam age-
rent, recepti sunt in gratiam: Ergo & reliqui penitenti-
es in gratiam recipientur.

Non autem valet: Abraham fecit
recte volens immolare filiam: Ergo &
Agamemnon recte fecit mactata Iphi-
genia. Non enim sunt individua ejus-
dem generis, quia alter habuit manda-
tum DEI, alter vero non. Itaq; accu-
rate nota, individua debere esse eius-
dem generis, hoc est, contineri sub ali-
quo simili & universalis. Unde non recte ar-
gumentaberis à singularibus Christi aliorumq; sanctorum
exemplis ad individua communia: V. G. Elias 40. dies
ac noctes: ut & Christus jejunavit: Ergo & nos ita je-
junare debemus. Item: propheta mala imprecatus sunt
suis hostibus: Ergo idem licet reliquis Christianis.

Neg.

239
Neg. etiam valet à vitiosis actioni-
bus certorum individuorum ad pro-
bandum idem factum in reliquis, sed
tum prae valet regula: Non exemplis
sed legibus est judicandum, ut: Cambyses
duxit sororem: Ergo & reliquis id licet regibus. Ladi-
slaus rex Hungariae non servavit fidem Turcis: Ergo &
alii reges idem debent facere.

Quae est maxima Topica à majori?

Cui majus convenit, ei etiam in eo-
dem genere minus convenit: & quod
non convenit majori, etiam non conve-
nit minori servata eadem analogia, ut:
Celites non sunt mundi in oculis DEI, quanto magis abo-
minabilis & fetidus vir, imbibens ut aquam iniquitatem.
DEUS dedit corpus: Ergo multo magis vestitum. Si ipsum
patrem familiars Beelzebub vocarunt, quanto magis dome-
mesticos ejus? Parendum est magistratui profano: Ergo
multo magis sancto & Christiano. si DEUS non pepercit
angelis & primo stori generis humani: Ergo multo ma-
gis non parceret huic luxurientis fecibus senescentis mundi.

Vulgo dicunt Logici: A majore ad
minus tantum negative valet conse-
quentia,

740.
quentia, *juxta canonem*: Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur. Sed hic canon non est universaliter intelligendus. Esi enim plerunq; valet, quando majores & minores vires atq; actiones inter se comparantur, ut: Alexander anno etatis trigesimo subjugarit totum pene orbem terrarum: Ergo id etiam poterit dux Mæscoviæ. Non, inquam, valet, quia non statim sequitur, quod majori competit secundum perfectionem vel actionem, id etiam competere minori. In talibus ergo actionum comparationibus plerunq; negativè concluditur. Verum quando passionum instituitur collatio, rectè etiam affirmative à majore ad minus concluditur. Sic Christus argumentatur: Mundus afflixit me, qui sum magister vester: Ergo & vos affliget, qui estis discipuli mei. Item: Christus obediens fuit Patri usq; ad mortem: Ergo & nos deest obedientes esse.

Quæ est maxima Topica à Minori?

A Minori talis est maxima Topica:
Quod minori tribuitur, multo magis majori in eodem genere tribuetur: & si minus non inest, etiam majus non inerit, ut: Iustus vix servatur: Ergo multo minus impius. Nondum jecisti fundamenta maximorum operum:
Ergo

246.
Ergo multo minus pervenisti ad eorum perfectionem. Homo integer non potuit sine gratia Dei custodire salutem, quam acceperat: nullo minus igitur homo corruptus poterit sine gratia Dei recuperare salutem, quam perdidit. Si Iudei Christo non credunt terrestria: Ergo multo minus ei credent celestia. Si licet in Sabbato bovem servare. Ergo etiam licebit servare hominem.

Augo docent Logici: A minore ad majus non valere consequentiam negativè sed tantum affirmativè. Verum hic Canon intelligendus tantum de comparatione virium & efficaciar, ut: Centum milites non possunt expugnare hanc urbem: Ergo nec tria millia. Item: Comes non potest exercitum alere millium decem: Ergo nec princeps: Ista negativè non valent, concedo: nihilominus tamen etiam à minore ad majus negativè & quidem rectè concludi potest, ut: Solidum ei dare voluit: Ergo multo minus thalerum dabit. Applausum non meruit: Ergo nec triumphum.

Quæ est maxima Topica à dissimili?

Dissimilia dissimilibus conveniunt:
& quicquid uni dissimilium (quoad dissimile est) convenit, id alteri non convenit, ut: Vxor est leniter habenda, quia non est in-

247.
star municipii, in quod potestatem vite & necis maritus habeat. Papa Romanus non est successor Petri, quia in doctrina, moribus, & vita plane dissimilis est Petri: Christianis cauendum, ne mortuos suos ultra modum lugeant: quia non debent esse similes gentilibus, qui spem non habent. Bonus Pastor non est mercenarius: Bonus rex non est instar leonis. Discipuli Christi non sunt instar regum & magnatum: Ergo non debent dominari. Hæc de Comparatis.

Quæ sunt maximæ Topicæ ab Oppositis?

1. Cui unum oppositorum tribuitur, ei alterum non tribuitur, eodem pacto respectu: vel ut Melanthon habet: Pugnancia non tribuuntur uni & eidem simul & respectu ejusdem, ut: Diabolus est mendax ab initio: Ergo non est verax ab initio. Hic est vir bonus: Ergo neq; fur, neq; adulter. DEUS non potest seipsum ab negare & mentiri: Ergo summe potens est & ipsa veritas.

2. Oppositorum quatenus talia, opposita sunt predicata, ut: Pauper & dives sunt opposita: Ergo dives abundat opibus, pauper vero eget. Sic calor laxat: Ergo frigus constringit. Pietas ad omnia utilis est: Ergo impietas ad omnia inutilis est. Quando internus homo crescit, tum externus decrescit.

Note.

248.
Notetur autem hoc loco duplex cautela: 1. Quod oppositio debeat fieri juxta differentias, quibus dissident opposita, non autem juxta genus & communia accidentia: Ideo non valet: albedo est color: Ergo nigredo non est color. Quia oppositio fit juxta commune genus, non juxta differentie diversitatem. Sic non valet: Calor est qualitas: Ergo frigus non est qualitas: Item: Pater est robustus: Ergo filius non est robustus. Socrates est homo: Ergo Plato non est homo: Dies est creata à DEO: Ergo nox non est à DEO creata. Virginitas est bona: Ergo conjugium est malum. Fit enim in his omnibus oppositio vel juxta genus, vel juxta speciem, vel juxta commune accidens, ideoq; collectio fallit. Hæc autem oppositio valet: Nigredo congregat visum: Ergo albedo dissipat visum: quia fit oppositio juxta differentie diversitatem.

2. Cautela est: quod proportio inter causas & effecta oppositorum sit observanda: ideo non valet: mala opera damnant: Ergo bona justificant: quia nulla est proportio bonorum operum ad salutem, cum nostra opera verè bona opera ex se dici non possint, sicut mala verè sunt mala. Hæc de oppositis in genere.

Quæ est maxima Topica de disparatis?

Q 2

A quo

A quo remouetur disparatum, ab eo remouetur omnia, quae disparato insunt: quippe disparatum unius disparati est alterius repugnans, ut: Vita aeterna est hereditas & donum DEI: Ergo non comparatur nostris meritiis. DEUS non est peccati auctor, quia est ejus ultor, & condemnator. Papa Romanus est litigantium pars altera: Ergo non potest esse iudex in controversiis de religione. Ave Maria est salutatio angelica: Ergo non est invocatio. Domus supplicationis non est domus mercatus: Templum est domus supplicationis: Ergo templum est domus mercatus. DEUS non est homo: Ergo non potest mentiri.

Quae est maxima Topica à contradicentibus sive repugnantibus?

Posito uno contradicentium & repugnantium remouetur alterum, ut: Iustificamur gratis: Ergo non ex operibus. Furiosus est: Ergo non consensit. Puer est: Ergo non fecit votum. Servit Mammonae: Ergo non seruit DEO. Remissio peccatorum est credenda: Ergo de ea non dubitandum. Omnis anima magistratui subiecta est: Ergo falsum est clericos non esse subiectos.

Quae est maxima Topica de contrariis?

Posi-

Posito uno contrariorum in gradu excellenti, remouetur alterum, ut: Franciscus Speira desperavit: Ergo nihil habuit consolationis. Hic pannus est albisimus: Ergo non est niger.

Melanthon ait: Duæ contrariae qualitates graduum excellentium non sunt simul in eodem subiecto, ut: aqua valde calefacta non potest simul esse frigida: Sed in gradibus remissis in eodem subiecto contrariae qualitates inter se luctantes esse possunt. Sic in corde hominis simul esse potest pavor & laetitia, sed in gradibus remissis.

Itaq; posito uno contrariorum im-mediatorum tollitur alterum, ut: DEUS est misericors: Ergo non est tyrannus. Mundus est finitus: Ergo non est infinitus. Terra est gravis: Ergo non est levis.

Sed posito uno contrariorum mediatorum non statim remouetur alterum, & contra ut: non est calidum: Ergo est frigidum. potest enim esse tepidum. Pannus non est albus: Ergo est niger. Dicitio non est generis Masculini: Ergo generis Feminini. Non est prime conjugationis: Ergo secunda.

Quae est maxima Topica de privativis?

P 3

Vno

*Uno ex privativis posito remove-
tur alterum, & contra, uno remoto po-
nitur alterum, ut: Qui sequitur lucem mundi, is
non ambulat in tenebris. Pius sequitur &c. Mortui sum-
mus peccato: Ergo non debemus ei vivere. In libertate
quã Christus nos liberavit, debemus perstare: Ergo non
debemus implicari servitutis jugo. Nemo ab eo illumina-
tur, à quo contenebratur: At ab hæreticis contenebramur.
Ergo.*

**Quæ sunt maximæ Topicæ
à relatis ?**

*1. Uno relatorum posito ponitur et-
jam alterum, & remoto tollitur alterum,
ut: Qui ab æterno fuit Pater, is ab æterno genuit Filium.
At DEus fuit ab æterno Pater. Ergo. Angeli sunt spiri-
tus administratorii: Ergo non competit illis honor Domi-
ni. Christus est Dominus Davidis: Ergo non est ejus ser-
vus. Bona opera non sunt causa justificationis, quia sunt
ejus effecta.*

*2. Cui tribuitur unum ex relatis, ei
eodem respectu non potest tribui alte-
rum: & à remotione relati ad remo-
tionem correlati recta est illatio, ut: Est
viduus: Ergo uxorem non habet. Episcopi sunt Ecclesiæ
servi*

*servi & ministri: Ergo non sunt ejus domini. Seneca fuit
Neronis præceptor: Ergo Nero fuit ipsius discipulus.
Christus est Ecclesiæ sponsus: Ergo Ecclesia est Christi
sponsa. Hæc de oppositis.*

*Antequam tamen ab hac oppositorum doctrina disce-
dam, hoc nota: Iesuite urgent nos, ut sub Papatu & ante
Lutherum ostendamus Ecclesiam, quæ ejus fidei fuerit con-
formis, quæq; fuerit visibilis? Tu vero scias, illos velle,
ut Lutherani oppositum in adjecto demonstrent, & invisi-
bile visibile, perturbatum quietum esse probent. Quin po-
tius illi probent, fidem Papisticam verbo DEI esse consen-
taneam. Nobis persuasum est, quàm ovum scorpio, panis
lapidi, piscis serpenti, lux tenebris, Christus ipsi Belial
similis: tam similis est verbo divino Ecclesia Romana.*

**Quod est principium Topicum
à testimoniis?**

*Omne testimonium tantam vim ha-
bet testandi, quantam habet auctorita-
tem ipse testis sive testator. Si ergo est testi-
monium divinum, tum tali testimonio credendum est pro-
pter auctoritatem & veritatem DEI testantis. Quia enim
DEus Opt. Max. ipsa est veritas, ideo simpliciter sibi vult
credi. Si vero testimonium est humanum, tum artificis cre-
dendum in sua arte, & testimonium docti prævalet testimo-
nio indocti, artificis in experti. Atque hæc de
doctrina Topica.*

1248.

DOCTRINA DE PARALOGISMIS seu Sophisticis

Elenchis.

Quomodo agitur in Logica de Sophisticis Elenchis?

Diligenter nota, non agi hic de syllogismo falso, quatenus falsus est, sed quatenus veri speciem & apparentiam habet. Quomodo enim in rebus naturalibus alie res verè tales sunt, quales esse videntur: alie videntur quidem, re vera non sunt: ut hominum alii re vera formosi sunt: alii videntur propter fucum, cum formosi re vera non sint. Religiosorum item alii verè religiosi sunt, alii tantum videntur & sunt hypocritæ. Sapientum alii verè sapientes sunt, alii tantum videntur, & sunt Sophistæ: Sic in Logica syllogismorum alii verè syllogismi sunt, alii tantum esse videntur, & veri speciem habent. Ne igitur quicquid splendet, pro puro habeatur auro: ideo omnino de apparentibus hisce syllogismis sive paralogismis agendum est in Logica.

Atqui sunt nonnulli, qui putant, non opus esse hac doctrina?

Scio, Ramistas esse in hac opinione: verum notent illi, si malus & falsus syllogismus nudus & talis, qualis est, menti proponeretur, tum facile ex istis præceptis, quæ de syllogismo bono ac vero huc usq; tradita sunt, caveri & animadverti posset. Iam autem certum est, materiam syllogismorum

249.

gismorum, ita variè posse ab ingenis sophisticis pingi & fingi, ita insidiosè fucari & occultari: ut qui syllogismus habet materiam falsissimam, tamen videatur esse bonus & verus, ac facile imponere etiam possit iis, qui præcepta & canones syllogismi boni verè didicerunt: nisi etiam hæc præcepta addiderint, quæ nunc tradituri sumus de deprehendendo & detegendo sophistico syllogismo. Neq; quisquam sine hac doctrina feliciter unquam disputavit contra ullum adversarium. Fallaciam enim, quæ in disputando adversarius utitur, nominare non poterit, nec etiam causam indicare, cur syllogismus adversarii sit rejiciendus.

Quotuplex est fallacia sive paralogismus?

Duplex: Vel est forma vel est materia. Paralogismus forma est, cum proponitur syllogismus, qui nec in certâ figura, nec in modo est, atq; impingit in canones sive generales sive speciales syllogismorum, de quibus supra egimus in libro tertio Logica formalis.

Quid est fallacia seu paralogismus materia?

Est ubi ipsa materia sive res, de qua

Q 5

dispu

230.
disputatio instituta est, laborat. Estq;
vel in dictione sive oratione aut phrasi,
vel extra dictionē, hoc est in ipsis rebus.

Quot sunt fallaciæ in dictione?

Sunt sex: 1. Homonymia. 2. Amphibolia. 3. Compositio. 4. Divisio.
5. Accentus. 6. Figura dictionis.

Quid ergo fallacia Homonymiæ?

Fallacia Homonymiæ est, cum vox
in syllogismo ambigūe ponitur, & di-
versam habet significationem, ut: Frons
est pars faciei. In arbore nascitur frons. Ergo in arbo-
re nascitur pars faciei. Aquila est avis rapax. Vexillum
militare est aquila. Ergo vexillum militare est avis rap-
pax. Omnis aries sentit. Quoddam signum Zodiaci est
aries. Ergo sentit. Verbum est vox evanesceus. Filius
DEI est Verbum. Ergo Filius DEI est vox evanesceus.
Omne sanum vivit. Urina est sana. Ergo urina vivit.
Sic Iesuite argumentantur: Si de omnibus articulis fidei
clara & perspicua in scripturis extarent testimonia, omnes
controversiæ jam diu essent finitæ. At posterius hoc fal-
sum: Falsum ergo & prius. Sed committunt fallaciam
Homonymiæ in voce (finitæ.) Si enim finitum esse id
dicatur

231.
dicatur, quod est definitum, decisum, explicatumq;, sive
agnoscatur pro tali, sive non agnoscatur, certe hoc pacto
omnes controversiæ in sacris literis sunt decise. Sin au-
tem finitum dicatur id, quod sublatum est, quodq; amplius
non extat, tum nulla prorsus militat consequentiæ ratio.
Ea enim est tum petulantium ingeniorum arrogantia, tum
ipsius diaboli perversitas, ut ne clarissimis quidem testimo-
niis sibi satisfieri patiantur. & citius solem in meridie lu-
cere negent, quam ex scripturis sibi satisfieri patiantur.

Talem fallaciam committunt Calviniani: Si realis idio-
matum communicatio concedenda, etiam propria unius
naturæ alteri reipsa inerunt. At posterius absurdum.
Ergo & prius. Sed ludunt æqui vocatione in voce reali-
ter. Aut enim pro Physico & essentiali accipiunt, aut
pro vero, quod ficticio & verbali opponitur. Priori mo-
do naturarū fieret confusio & exæquatio: posteriori vero
minimè. Sicut enim ipsa unio realissima non præstat, ut
naturæ confundantur, & propria unius naturæ alteri na-
turæ subjective insint: ita nec veræ ac realis communicatio.

Sic: quicquid currit, habet pedes. Fluvius currit.
Ergo. Quicquid ambulat, habet pedes. Caput ebrium
ambulat. Ergo. Quicumq; habet brachium, est cor-
poreus. DEUS habet brachium. Ergo.

Quid est amphibolia?

Quando dubia plurium vocum sen-
tentia ambiguos terminos efficit, sic ut
non

non eodem sensu accipiuntur, vel in praemissis vel in conclusione. Oriturq; vel ex constructione vocum ambigua: vel ex phrasi diversum sensum seu usum habente. Proinde amphibolia nunquam in una voce consistit, sed semper in pluribus reperitur, ut: Quod quis videt, hoc videt.

Atqui domum quis videt. Ergo domus videt. Hic diversus casus parit ambiguitatem. Tale responsum dedit Satan Pyrrho Epirotarum regi: Ajo te Haecida Romanos vincere posse. Dubius est sensus, an Haecides hoc est, Pyrrhus Romanos sis victurus, an hi illum? Tali item fallacia decepit Satan Albertum dominum Placentiae, cui ita respondit. Domine sis securus, inimici tui intrabunt terram tuam, & subiciuntur domui tuae. Placentiae dominus putavit ad se pertinere istum vocativum Domine, cum tamen duo essent adverbia, & sensum gignerent talem: Ne sis domi securus, inimici intrabunt terram tuam, & subicient Vr, hoc est ignem domui tuae: quomodo experientia postea fallaciam detexit.

Hac fallacia etiam decepit Hieronymum Moranum Francisci Ducis Mediolani consiliarium, à quo consultus hic archisophista, deberetne legatus transire ad castra imperatoris, respondit: Ibis, redibis, non eris captivus. Moranus interponit comma inter redibis & non: sed imperator expunxit, à quo miserrimè est tractatus.

Talis

Talis fallacia est in hoc syllogismo: Quod Caesaris est, tu male tibi vendicas. At pecunia haec est Caesaris. Ergo &c. Est amphibolia in phrasi (esse caesaris,) quod vel de imagine Caesaris, vel de proprietate ac possessione Caesaris accipi potest. Sic: Quisquis vendit oleum, est mercator. Omnis adulator vendit oleum. Ergo. Sed est amphibolia in phrasi vendere oleum: quae in maiore significat exercere contractum commutationis olei cum pecunia: in minore vero usu proverbiali idem est, quod grata loqui seu adulari. Talis deniq; est amphibolia Iesuitarum: Matth. 12. Christus dicit: Quisquis fuerit locutus adversus Spiritum S., non remittetur ei neq; in hoc seculo neq; in futuro. Ergo quaedam peccata remittuntur post hanc vitam in purgatorio. Sed est amphibolia in phrasi, neq; in hoc seculo neq; in futuro, quae significat, nunquam remitti. Nam sic verba Christi recitat Marcus cap. 3. v. 29.: Quicumq; blasphemaverit in Spiritum S., non habet remissionem in aeternum, sed tenetur aeterno iudicio.

Quid est compositio?

Fallacia compositionis in syllogismo est, cum in aliqua praemissarum vel conclusione conjunguntur, quae non erant conjungenda, ac non sunt vera, nisi diversa, simul autem & conjunctim accepta sunt falsa. Fit autem duobus modis: Primus

est,

est, cum duæ voces distincte captiosa compositione pro una accipiuntur, ut: Nulla incuria est laudanda. Magistratus est in curia. Ergo magistratus non est laudandus. Est fallacia compositionis, quia in maiore in unam vocem componuntur, quæ duæ esse debebant in curia. Sic: Omnia in anima sunt à DEO creata. Mala concupiscentia est in anima. Ergo mala concupiscentia est à DEO creata. Hic in minore componuntur in unam vocem duæ, quæ distincte & divisæ manere debent: nam mala concupiscentia est in anima. Item: Quicumq; venit cum omnipotentia, is est omnipotens. Antichristus venit cum omnipotentia 2. Thess. 2. Ergo Antichristus est omnipotens. Hic in maiore in unam vocem componuntur, quæ duæ esse debebant, cum omni potentia.

Secundus modus fallaciæ compositionis est, cum vox una vel plures junguntur cum termino aliquo, ad quem non pertinent, ut: Fides sine operibus justificat. Fides sine operibus est res mortua. Ergo res mortua justificat. Committitur hic fallacia compositionis: Nam verba hæc sine operibus in maiore sunt pars prædicati: adversarii vero in minore cum subjecto componunt, unde male inferatur conclusio. Sic: Quicumq; dicitur à Christo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, is iure optimo columna & fundamentum Ecclesie dici potest. Atqui Christus ait: Tu es Petrus &c. Ergo Petrus est Ecclesie fundamentum: Et per Consequens, successores Petri Pontifices nempe Romani sunt columnæ & Ecclesie. Sed & hic Elenchus compositionis: male enim Petrus & pe-

257.
& petra junguntur, vel potius persona vel substantia male confunditur cum accidenti. Nam Petrus hoc loco notat Petrum Apostolum: Petra vero notat confessionem seu doctrinam ab ipso editam. Item: Quicquid est in mea domo, est in civitate. Atqui unicus fons est in mea domo. Ergo unicus fons est in civitate. Maior mediatè, minor immediatè intelligitur. Et vox unicus male in conclusione repetitur cum subjecto. Sic: Qui vivit, iam natus est. At Sexagenarius vivit. Ergo iam natus est.

Quid est fallacia divisionis?

Est cum in aliqua præmissarum vel conclusione disjunguntur, quæ erant conjungenda, ac non sunt vera nisi conjuncta, seorsim autem sumpta sunt falsa, ut: Quod majus est tribus, est æquale & aliquid amplius. Quinq; est majus tribus. Ergo quinq; est æquale tribus. Committitur fallacia divisionis: nam quæ in maiore conjunctim sumuntur, ac vera sunt, ea in conclusione non inferuntur conjuncta, sed dividuntur, uno tantum ex illis ilato. Sic: Omnes sapientes Græciæ sunt septem. Solon & Periander sunt sapientes Græciæ. Ergo Solon & Periander sunt septem. Maior conjunctè, minor divisim inferit, unde conclusio existit falsa. Sic Jesuitæ nugantur: Si Ecclesia est congregatio hominum utentium Sacramentis iisdem, & fidem Christi profitentium sub regimine legitimum pastorum, sequitur necessariò, eam esse visibillem.

256
lem. Sed & hic committitur fallacia divisionis. Requiritur enim ad constitutionem vere Ecclesie non duntaxat ea, quae enumerant Iesuitae: siquidem ea cadunt etiam in hypocritas & hereticos: sed requiritur in super, ut in eodem catu sint etiam aliqui electi, adversus quos portae inferorum prevalere haud queant. Qui vero tales sint, id certe oculis non est conspicuum, sed soli DEo notum.

Quid est fallacia Accentus?

Quando aliquis terminus est ambiguus ex accentu. Nascitur hac ambiguitas ex modo scribendi aut pronuntiandi voces: quod fit cum similitudine descriptionis tegitur dissimilitudo pronuntiationis, aut vicissim similitudine pronuntiationis tegitur dissimilitudo descriptionis, ut: Omnis honos est laudandus. Ignarus scholasticus est *diu*. Ergo ignarus scholasticus est laudandus. Quicquid hamatur, hamo capitur. Vinum amatur. Ergo vinum hamo capitur. Qui servit aere, est sacerdos. Subulcus servit hære. Ergo subulcus est sacerdos. Omnis equus est animal quadrupes. Aliquis iudex est equus. Ergo. Omnis veritas est inimica societati humane. Quaedam virtus est veritas. Ergo. Nullum malum est à DEo creatum. Omne pomum est malum. Ergo nullum pomum est à DEo creatum.

Quid

Quid est fallacia figuræ dictionis?

257
Est captiosa argumentatio, quæ ex varia & ambigua accidentium Grammaticorum & Dialecticorum usurpatione nascitur: cum vel prima noëmata miscentur cum secundis, vel accidentia partium orationis, & predicamenta inter se confunduntur propter similitudinem syllabarum, terminationum, significationum, & aliorum quoque accidentium, ut: Rex est monosyllabum: Alexander est rex: Ergo Alexander est monosyllabum. Fallacia hic est figuræ dictionis: Nam rex in Majori accipitur pro voce ipsa per se, in Minore autem pro re voce illa significata. Elementa secundum Philosophos sunt quatuor. At literæ sunt Elementa. Ergo tantum quatuor sunt literæ. Confunduntur per hanc fallaciam noëmata prima cum secundis. Stella est generis feminini. Planeta est stella. Ergo planeta est generis feminini. Fit confusio ex similitudine terminationis. Animal vel rationale est, vel irrationale: Homo est animal: Ergo homo est vel rationalis vel irrationalis. Non valet, quid animal in maiore sumitur indistinctè pro omni animali: in minore vero strictè. Quicquid hodie emisti, id comedisti. Crudas carnes hodie emisti. Ergo

R

crudas

258
crudas carnes comedisti. Confusio fit per hanc fallaciam, quia major loquitur de substantia, minor de qualitate. Quicquid non amisti, id habes: Cornua non amisti. Ergo cornua habes. Hic privatio & simplex negatio inter se confunduntur. Nam verbum (amittere) intelligendum est de subjecti habitu, & positione, seu potentia, & habilitate. In minore vero negativè ponitur. Homo enim naturaliter cornua nunquam potest habere: Ergo etiam nunquam potest amittere. Hæc de fallaciis in dictione: sequitur de fallaciis extra dictionem in ipsis rebus.

Quomodo considerantur fallaciæ in ipsis rebus?

Considerantur vel circa conclusionem, aut questionem: vel circa conclusionis probationem sive dispositionem medi: vel circa ipsam coherentiam sive consequentiam.

Quæ sunt fallaciæ circa conclusionem seu questionem?

Sunt duæ: fallacia disparatarum questionum & ignoratio Elenchi.

Fallacia disparatarum questionum est,

259
est, cum plures quæstiones seu conclusiones confunduntur seu commiscantur in unum, ut: Iesuitæ argumentantur: Multis secularis Ecclesia DEUM coluit absq; scriptura ex sola vivæ vocis traditione. Ergo postquam sacra scriptura DEI jussu edita est, illa non sufficit ad doctrinam fidei & morum, sed traditionibus opus fuerit. Fallacia præsens committitur. Non enim quæstio in eo versatur: An DEUS sine scriptura potuerit, hodiequè possit doctrinam fidei morumquè inter homines conservare? Id nemo negat, sed hæc est quæstio: Anne fas sit præter & extra verbum DEI scriptum ulla alias amplecti traditiones non scriptas de fide & salute nostra? præsertim quando DEUS suum verbum in litteras referri curavit. Vbi certè non ex conditione anti-quæ illius primæ Ecclesiæ: sed ex voluntate DEI statuentum est de norma fidei & morum.

Talem fallaciam committunt Iesuitæ etiam in hoc syllogismo. Si aliquando sola Ecclesia invisibilis in mundo manet: impossibilis erit salus eorum, qui sunt extra Ecclesiam. Nam salvari non possunt, nisi Ecclesiam ingrediantur. At in eam ingredi non possunt, si eam ignorant. Committitur hæc turpissimè hæc fallacia. Aliud enim est, quando queritur. An ita latere possit Ecclesia invisibilis, ut omni prorsus careat forma aspectabili, ita ut in teris nulla amplius Ecclesia agnosci possit? Aliud vero est, quando queritur: An vera Electorum Ecclesia formam suam visibilem

sibilem semper æquabiliter exerat ? Prius illud nunquam affirmavimus : Posterius intrepidè affirmamus.

Perinde ludunt in hoc syllogismo : Si sub Papatu fuit vera Ecclesia, uti concedunt Lutherani : illi vero ab Ecclesia sub Papatu defecerunt. Ergo ab Ecclesia verà defecerunt : ac per consequens, Lutherani non sunt vera Ecclesia. Fallacia præsens committitur. Aliud enim est, adserere, sub Papatu veram fuisse Ecclesiam, quod ultrò largimur, aliud ipsam Papatum fuisse Ecclesiam illam veram, id quod negamus. Et quomodo à Papatu defecimus, siquidem cum illo nunquam consensimus. Omnis autem apostasia propriè loquendo præsupponit antegressum consensum : Rectius proinde ex Papatu exiisse dicimur.

Hac fallacia ludunt Calviniani sic inferentes: Si caro Christi ideo est extra locum, quia assumpta est in localem hypostasin logu : tum ob eandem etiam causam erit ab æterno, erit exempta à tempore, erit in corporea, spiritalis, omnis compositionis expertus : siquidem hypostasis logu talis est. Atqui posterius hoc falsum : Ergo & prius. Confunditur ipsa essentia logu, quid is sit, cum præsentia carnis, ubi subsistat, & suum esse obtineat. Declaramus rem tali exemplo. VViteberga est oculus Germaniæ. Petrus est VViteberga. Ergo Petrus est oculus Germaniæ. Major agit, quid VViteberga sit ratione essentia : Minor de existentia Petri.

Quid est ignoratio Elenchi?

EA

Est ignoratio legum oppositionis, de quibus egimus libro secundo. Describitur alias, quando adversarii conclusio nostra, de qua disputatur, non rectè opponitur, violatis omnibus bonæ oppositionis legibus : aut cum status mutatur, & pervertitur, ut: Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 2. sic ludit. Episcopi singuli errare possunt : Ergo conjuncti errare non possunt. Ignoratio hic est Elenchi. Non enim opposita definiuntur, quibus idem non possit tribui, sed quæ eidem non possunt tribui. Atqui error tam singulis Episcopis, quam conjunctim omnibus accidere potest, quod multis conciliorum exemplis probari potest. Perinde ergo sic argumentatur Bellarminus, ac si quis ita ratiocinetur : Episcopi singuli sunt mali : Ergo conjuncti non sunt mali : Vel Episcopi singuli sunt homines : Ergo conjuncti non sunt homines.

Sic quæritur inter nos & Iesuitas, an Ecclesiæ particulares prorsus possint deficere ? Bellarminus opponit nobis dicta : Matth. 16. Porta inferorum non prævalentibus adversus Ecclesiam : Item : 1. Tim. 3. Ecclesia DEI vivi est columna & stabilimentum veritatis. Atqui ignoratio Elenchi in his committitur, quia agunt hæc dicta de Ecclesia Electorum invisibili, non vero de Ecclesia visibili, quæ secundum externum etiam ministerium ita à veritate

R 3

tate

bate deficit, ut non sit fundata super petram, neq; columna veritatis maneat.

Sic queritur inter nos & illos, ubicunque in scripturis invenitur nomen Ecclesie, anne semper visibilis congregatio significetur, an non etiam congregatio invisibilis? Bellarminus multas cumulat dicta, quae agunt de externo catu visibilis Ecclesie, neq; attingit, an ipsi quoq; electi, quatenus per internam fidem definiuntur, sint conspicui, pro ut conspicui sunt & manent, quatenus ut vocati in visibili vocatorum grege versantur. Quis autem non videt, turpissimam ignoracionem Elenchi committi? Sic sit thesis: Papa non est caput Ecclesie. Et aliter sic inferat. Cui commisit Christus oves suas, is est princeps Apostolorum. At Petro Christus commisit oves suas. Est ignoratio Elenchi: Non enim legitime opponitur conclusio hujus syllogismi, quae disputanda proponebatur. Aliud enim est dicere: Papam non esse caput Ecclesie: Aliud: Petrum esse principem Apostolorum.

Sic Calviniani nugantur: Si in Christi carne fuisset divina & infinita vivificandi vis, profecto non potuisset ab ulla finita potentia superari & occidi. At qui caro Christi fuit occisa. Ergo sequitur, eam vitae vim non fuisse infinitam & divinam. Ignoratio Elenchi committitur, quia plena usurpacio communicatae infinite virtutis vivificae, & mors sive occisio sibi mutuo opponuntur. Iam vero intervenit status Exinanitionis profundissimus, qui praestitit, ut logos vim vivificam per carnem non exereret.

Quae

Quae sunt fallaciae circa quaestionis probationem?

Fallaciae tales sunt duae: vel circa medii inventionem, vel circa praemissas ex medii dispositione ortas. Circa medii inventionem est Petitio principii.

Quid est Petitio principii?

Petitio principii dicitur, cum dubium probatur vel per seipsum, iisdem verbis aut tantundem significantibus, vel per aliud aequae aut magis dubium & controversum, ut: Mundus est aeternus, quia non habet principium. Pro iis, qui sunt in purgatorio, est orandum: quia peccata illis remitti possunt. Ebrietas est perniciofa, quia nocet. Bene operari beatum facit, quia vita innocens & pura beatum facit. Iisdem verbis petunt principium Iesuita in principali argumento, pro Ecclesia sua. Queritur de Ecclesiae Catholicae notis: Iesuita Ecclesiae Catholicae notam faciunt, ut sit Catholica. Ecce igitur, quam acute argumententur: Ecclesi haec est Catholica, quia est Catholica. Sic Flacius principium petit, distinguendo inter hominem Theologicum & Phisicum. Sic Bellarminus principium petit allegando pro invocatione sanctorum Patrum Graecorum & Latinorum

264.
auctoritatem. Qui enim non possunt cogitationes hominum cognoscere, ii absq; dubio invocandi non sunt. Atqui sancti non possunt Ergo. Esaiæ 63.

Quæ sunt fallaciæ circa medii dispositionem sive præmissas?

Sunt sequentes, 1. Fallacia Consequentis. 2. A dicto secundum quid addictum simpliciter. 3. Fallacia accidentis. 4. Fallacia causæ non causæ.

Quid est fallacia Consequentis?

Fallacia Consequentis est, quando vitiosa est connexio medii cum maiore extremo, ita ut propositionis majoris consecutio necessaria & reciproca esse iudicetur, cum tamen non sit: aut cum posito genere ponitur species, ut: si M. Cælius est formosus, est adulter. Atqui M. Cælius est formosus. Ergo. Si Titius est blandus, est adulator. Atqui Titius est blandus. Ergo. Si Titius audivit doctos præceptores, est doctus. Atqui Titius audivit doctos præceptores. Ergo. Si Cajus fuit in Italia, callet Italicam linguam. Atqui fuit. Ergo. Si terra est madefacta, tum pluit. Si

sermo

265.
sermo Christi operatur commutationem panis in corpus Christi, tum operatur commutationem per transubstantiationem. At prius est teste Ambrosio lib. 4. de sacram c4. Ergo & posterius. A positione generis ad positionem speciei non valet consequentia.

Sic Pontificii argumentantur: Christus in cælum ascensurus ordinavit ministerium Euangelii inter omnes gentes prædicandi. Ergo Ecclesia nunquam destituitur puris doctoribus. Committitur sophisma Consequentis. Illud enim duntaxat ex Antecedente sequitur, quod Christus dederit ministros puros, qui annuntiarent Euangelium. Interim autem minimè sequitur, quod si DEUS ingrattitudinem & contentum verbi sui vindicaturus, errorum efficaciam immitat, non etiam ministerium publicum possit esse corruptissimum.

Talem fallaciam Consequentis committunt in hoc argumento Calviniani: Caro Christi uno in loco nata est, non ubiq; uno in loco passa, mortua, crucifixæ. Ergo caro Christi ex unione non habet, ut sit ubiq;. Vel, si hoc revera habet, tum sequetur, eam ubiq; natam passam &c. Negatur consequentia, quia argumenta ejusmodi semper procedunt ex affirmatione naturalis illius respectus carnis Christi, ad negationem ejusdem personatis existentie in persona loqu. Quasi vero duo isti respectus contradictorie essent oppositi; Ostendendum hoc loco, quid caro Christi ratione essentia, quid ratione existentie habeat.

Quæ est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter?

Est cum ex medio termino secundum quid & limitatè cum utroq; vel alterutro extremorum disposito infertur conclusio absolutè & simpliciter vera, ut: Quicquid abrogatum est, non valet. Vetus Testamentum abrogatum est. Ergo. Naturalia sunt possibilis. Lex est naturalis. Ergo lex est possibilis. Major respectu integrè valet nature. Qui minor est DEo Patre, is non est verus DEus. Christus est minor puta respectu humane nature. Qui accipit gladium, gladio peribit. Magistratus accipit gladium. Ergo. Major limitetur: Qui accipit gladium non datum à legibus.

Calviniani committunt hanc fallaciam sic arguentes: Si humana Christi natura verè ac realiter possidet omnem plenitudinem DEitatis, utiq; ea deificata, & nature divine exæquata sit, necesse est. Procedit collectio, ex hypothese, quæ non simpliciter, sed tantum secundum quid vera est. Ea vero est talis: Quicquid habet sive possidet omnem plenitudinem DEitatis per nature suæ proprietatem, illud DEus est, illud divine nature exæquatur. Sic: Imaginibus nobis DEus interdixit non simpliciter sed ratione cultus & adorationis.

Quid est fallacia accidentis?

Est cum medius terminus in unâ propositione per se intelligitur, in altera autem

autem per accidens, ut: Quod bella ciet, malum est. Evangelium bella ciet. Ergo. Caro Adami est peccatrix: Caro Christi est caro Adami: Ergo caro Christi est peccatrix. Major per accidens intelligitur, minor per se. Quicquid inflat hominem, est malum. Honores inflant hominem. Ergo. Quicquid incitat nos ad pietatem, id est bonum. Bellum incitat nos ad pietatem. Ergo. Sic Iesuitæ sophismate accidentis ludunt, quando contendunt, Ecclesiam esse antiquiorem scripturis: proinde omnem scripturarum auctoritatem necessario dependere ab Ecclesia. Atqui sciant, scripturam sacram habere suam substantiam, habere suum accidens. Substantia est ipsum verbum DEI revelatum: Accidens est ipsa scriptio. Tam non est quæstio de hoc accidente, sed de ipso DEI verbo revelato, anne Ecclesia sit prior eo? quod strictè negamus. Sic: Exorcismus præbet scandalum. Ergo est abrogandus. Quod certè accidit exorcismo.

Quid est fallacia causæ non causæ?

Quando scilicet falsa & apparens causa pro vera assertur, ut: Si mali oratores corrumpunt rempub., tum eloquentia est è repub. exterminanda. Atqui mali oratores corrumpunt Rempub. Ergo. Si multi, qui Evangelium profitentur, sunt mali, tum Evangelium est malum. Atqui prius verum: Ergo & posterius. Sic Iesuitæ ludunt: Patres in quæstione de rebus fidei ad Ecclesiam provocârunt: Ergo Ecclesia errare non potest. Causa non causa assertur: Provocatur etiam

etiam ad iudicem politicum: Ergo ne propterea falli ille
 aut errare non potest? Provocarunt ad Ecclesiam Patres
 non simpliciter, sed quod statuerent, Ecclesiam rectum
 sensum tenere. Huc pertinet & illud: Irritamenta ma-
 lorum sunt fugienda. Divitiæ sunt irritamenta malorum.
 Ergo. Sic: D. Paulus monet, ut fugiamus Philosophiam:
 Ergo Philosophia est mala. Paulus jubet nos fallacem &
 inanem fugere Philosophiam, non veram & sobriam.
 Quicumq; asserit, se implere ea, quæ de sunt passionibus
 Christi, is Christi passionem imperfectam statuit. At D.
 Paulus ait, se implere ea, quæ desunt passionibus Christi.
 Ergo. Respondeo, est fallacia causæ falsæ. Nam Paulus
 non vult suas passiones tanquam meritum partiale Christi
 merito plenissimo annumerare: sed loquitur de imitatio-
 ne, quod pii Christi vestigiis insistentes omnis generis as-
 flectiones propter Christum sufferre debeant. Hacten-
 us de fallaciis.

Sic ergo per DEI gratiam totam

Logicam absolvimus, & rogamus DEUM devotif-
 sime, ut lumen illud disciplinarum & bonarum ar-
 tinum, quod etiam in hac schola accendit, clemen-
 tissimè, conservet, & ad nominis sui gloriam,
 Ecclesiæ in crementum, Reipub. stabilimentum,
 & posterorum monumentum con-
 vertat, Amen.

DEO SOLI GLORIA.